141 0209

(5

COMMENTARIA DE JURE REGNI NEAPOLITANI

IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA.

AUCTORE

FRANCISCO RAPOLLA JC.

Regio Conſiliario, ac Præſidenti Reg. Cam. Summariæ &c.

TOMUS V.

JUS FEUDALE

CONTINENS.

EDITIO POSTUMA

Novis additionibus adaucta.

NEAPOLI MDCCLXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA URSINIANA

SUMPTIBUS CAJETANI CASTELLANO

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX TITULORUM

TOMI V.

Prooemium pag. 1

C A P U T I.

De Origine Feudorum ibid.

C A P U T II.

Explicatur definitio Feudi, & ejuſdem contractus

C A P U T III.

De diviſione Feudi 7

C A P U T IV.

Qui Feudum dare poſſunt 10

C A P U T V.

Qui poſſunt accipere Feudum 12

C A P U T VI.

Quæ res in Feudum dari poſſunt 14

C A P U T VII.

Quibus modis Feudum conſtituitur, & acquiritur 18

C A P U T VIII.

De Inveſtitura 19

C A P U T IX.

De Acquiſitione Feudi per ſucceſſionem 24

C A P U T X.

De Succeſſione Tranſverſalium in Feudo 32

CA-

Digitized by Google

C A P U T XI.

De Succeſſione Feudi ex Jure Regni Neapolitano 33

C A P U T XII.

De Succeſſione feminarum ad Feudum 35

C A P U T XIII.

De Succeſſione Aſcendentium 41

De Feudi Refutatione 42

C A P U T XIV.

De Succeſſione Collateralium 46

C A P U T XV.

De Præſcriptione Feudi 60

C A P U T XVI.

De Jure, quod habet Vaſallus in Feudo 62

C A P U T XVII.

De alienatione Feudi 65

C A P U T XVIII.

Quibus modis Feudum amittitur. 73

C A P U T XIX.

De oneribus Feudi, & præcipue de Adoha, & Relevio; 80

JU.

Digitized by Google

JURIS FEUDALIS
REGNI NEAPOLITANI
LIBER.

PROŒMIUM.

De feudis aggrediamur diſputationem homini in juris ſcientia verſato valde utilem; ſiquidem ſemper videmus magni momenti in foro de feudis quæſtiones moveri; quas certe, niſi ſumma rerum peritia, fruſtra quis componere ſtudebit, & præſertim ſi inſpiciemus leges Regni, quæ non ſemel differunt a jure communi, adeo ut accuratum requirant interpretem. Jus quidem meo judicio haud pœnitendi laboris eſt; quapropter qua maxima potero diligentia ſimul, & brevitate hunc tractatum abſolvere conabor.

CAPUT I.

De origine feudorum.

ANte ſæculum nonum, quæ nunc feuda dicuntur, appellata fuiſſe beneficia, honores, militiam, ſive de munere Regnum conceſſa, multis probat Struvius *in hiſtoria juris feudalis*: ſæculo vero nono feudi vocabulum invaluiſſe, licet primitus ejuſdem vocis uſus pro quovis prædio ruſtico Colonis etiam conceſſo eſſet adhibitus: hujuſmodi autem vox unde ortum habuerit, non ſatis conſtat: ſunt autem, qui feudum aliquando *fœdum* dictum fuiſſe, & a *fœdere* originem traxiſſe affirmant, ut videre eſt apud Cujacium *in commentario de feudis in principio*. Ipſe vero Cujacius huic accedit ſententiæ, feudum dictum fuiſſe a *fidelitate*, vel a *fide* ut eſt in *tit.* 3. *lib.* 2. *feudorum*. Quam ethymologiam, etſi plures improbent, tamen omnibus relictis amplectitur, Giphanius *in diſputat. de feudis*.

II. Sunt & alii, qui referuntur apud eundem Struvium, quibus perſuaſum eſt feudum a Germanica voce *feda*, vel *feida* derivari, quæ vox idem ſonat, ac apud Latinos *inimicitia*; cum enim Vaſallus, cui feudum datum eſt, ſuſcipere teneatur Domini inimicitias, ideo hoc nomen ſumſit. Quidam vero, iique non inepte, ut videtur mihi, a voce Germanica *Phe* deducunt feudum, quæ mercedem notat, ſeu ſtipendium, & *Ode* poſſeſſionem, quaſi mercenariam ſignificat; hinc non ſemel apud Scriptores infi-

Digitized by Google

infimæ latinitatis legitur non *feudum*, ſed *feodum*, quia feuda olim ſtipendii loco concedebantur militibus.

III. Hactenus de voce: originem autem feudorum vel a primis Romanæ Urbis initiis repetere quibuſdam placuit, ut Zaſio in *epitome feudorum*, & Budeo *in adnotationib. ad l. 73. D. de evictionibus*; ſiquidem antiquitus moris fuit, ut homines auxilio egentes in Procerum fidem, ac clientelam ſe conferrent, quorum tutela, atque præſidio contra potentiores caput, & fortunas ſuas tuerentur; uti viciſſim ipſi, quos ſibi Patronos adoptaſſent, omni obſervantia, atque obſequio colerent, unde & Clientes appellati ſunt. Exiſtimat igitur Budeus, cum olim Romanæ Urbis Reges finitimos populos viciſſent, eos ſub clientelam ſuam recepiſſe, illis agros, & fundos clientelæ titulo in beneficium concedendo, unde feuda orta ſunt.

IV Verum multas differentias eſſe inter Clientes, & Vaſallos proponit Giphanius *de jure feudor. cap. 2.* poſt Cujacium, qui diſcrimen in eo potiſſimum cenſet eſſe, quod Vaſallorum conditio hæc eſt, ut cum delectus perficitur, in militiam eant, vel Vicarium mittant, vel certum cenſum Domini Ærario inferant, quod *Heribandum* a Germanorum antiqua voce *Here*, qua ſignificabatur Exercitus, & *Bandum* edictum, ſive citatio: Heribandum vero dicebatur citatio ad exercitum, & aliquando ſignificabat pœnam edicto propoſitam, quis pecuniæ ſolutione ſubire cogebatur, ſi edicto non obtemperaſſet: Clientes vero his oneribus erant exemti.

V. Eſt & alia differentia inter Clientes, & Vaſallos: Clientes pleno jure prædia ſua poſſidebant; Vaſſalli vero, ut latius dicemus *infra*, uſusfructus tantum nomine prædia in feudo data poſſident, ſive, ut vulgo DD. loquuntur, utile tantum habent dominium: nam directum, ſive proprietas eſt Dominorum. Concludendum eſt igitur minus recte originem feudorum a clientelis apud Romanos receptis deduci, cum non per omnia Vaſallis Clientes ſimiles ſint.

VI. Sunt & alii, quibus perſuaſum eſt, feuda ex eo derivaſſe, quod cum apud eoſdem Romanos moris fuiſſet, ut prædia, quæ a Gentibus devictis occupabantur, veteranis militibus partiri ſolita eſſent, (quod Auguſti præſertim temporibus a Marco Antonio factum fuiſſe tradit Suetonius *in Auguſto cap. 13.*) paulatim inde feuda ortum habuerint; vel, ut quidam volunt, origo fuit ab agris limitaneis, de quibus eſt titulus *in Cod. lib. 11.*; fundus enim, ſive Ager Limitaneus, vel limitatus hoſtium eſſet, militibus aſſignabatur, ut, ex Lampridio *in vita Alexandri Severi*, majori ſtudio, & diligentia jura ſua eſſent defenſuri. Verum recte meo judicio ſentit Duarenus *de feudis cap. 3.*, iſta conceſſionis genera imaginem feudi habere, ſed in illis nullam fidelitatis, & obſequii mentionem fieri; adeo ut non recte inde feudorum origo trahatur.

VII. Quibus igitur Auctoribus feuda tribuenda ſunt? Et multis probat Struvius *loc. cit.*, primum a Germanis feuda introducta eſſe, idque non ſolum ex indole ejus nationis, ſed etiam quod multæ extent voces feudales, quæ ipſius gentis propriæ ſunt. Ex Germanis vero Francorum Populi, qui ab illis orti Gallias occuparunt, inſtitutum quoque feudorum acceperunt, atque aliis modis conſtituerunt; nam terras jure belli acqui-

Digitized by Google

acquiſitas earum Reges concedere ſolebant ſub nexu fidelitatis ; idque partim pro onere militari , partim quod victores ſub eadem obligatione fundos victis Populis reliquerant.

VIII. In Italia autem , & in Regno noſtro poſt Gothos , qui eis ſucceſſerunt , Longobardi magis , magiſque feuda concedendi uſum habuerunt ; unde in hiſtoria Regni noſtri leguntur nomina dignitatum ex conceſſione feudi. Et primum locum apud Longobardos obtinuit Dux Beneventanus , cujus late patebat Imperium ; ex quo deinde & alii minores Feudatarii profecti ſunt , præcipue qui dicebantur Gaſtaldi , quaſi Longobardorum lingua Gubernatores, unde in libris feudorum legitur tit. *de feudo Guardiæ* , *& Gaſtaldiæ*.

IX. Aliquando eveniebat , ut ipſi fundorum Domini , vel neceſſitate coacti , vel ut potentiorum tutelam quærerent, ſe, & bona ſua Principibus, Regibus, & Epiſcopis ſub nexu feudali ſubjicerent ; unde differentia orta fuit inter *feuda data* & *oblata*. Feuda data erant, quoties a Regibus alicui poſſeſſiones concedebantur ſub fidelitatis obligatione : oblata vero , quoties ipſi rerum Domini res ſuas ſub feudi nexu Regibus offerebant.

X. Hac ratione ſæculo X., & XI. multæ Regiones imo & integra Regna obligatione feudali adſtricta fuere Romanis Pontificibus, non quia Pontifices Regna, & Dominia alicui concederent , ſed quia ipſi Reges,& Domini ſe ſubjiciebant Apoſtolicæ Sedi, ut protegerentur contra hoſtes armis ſpiritualibus. Hac eadem ratione Regnum noſtrum Principibus Normannis factum fuit feudum Sedis Apoſtolicæ , & adhuc hodie durat : quamvis noſtri Reges integro, & abſoluto dominio fruantur.

XI. Ex uſu feudorum cœperunt paulatim Leges oriri eodem pertinentes ; nec enim veriſimile eſt primis temporibus ſine certo jure , ſaltem moribus recepto , feuda compoſita fuiſſe . Struvius contendit non primum apud Longobardos , ſed apud Germanos , & Francos jus feudorum ortum fuiſſe. Vulgo tamen creditur a Longobardis primum Leges de feudis extitiſſe , eaſque manaſſe vel ex conſtitutionibus Regum Longobardorum, vel ex auctoritate rerum judicatarum , & reſponſis Prudentum , quæ fiebant in ipſis incidentibus negotiis. Hoc quidem jus diu diſperſum , & incertum , nec in unum corpus compoſitum vagabatur, donec opera , & ſtudio Gerardi Nigri , atque Oberti de Orto Juriſconſultorum Mediolanenſium temporibus Friderici Enobardi Imperatoris omnes Leges , & Conſuetudines ad feuda pertinentes collectæ fuerunt , quæ vulgo conſuetudines feudorum appellantur.

XII. Poſtea vero Ugolinus Juriſconſultus Bononienſis ex hac compilatione , Conſtitutionibus Corradi I. , & Friderici II. Imperatorum , atque ex iis, quæ uſu fori immutata erant , unum corpus confecit in duos libros diviſum , atque *decima authenticorum collatio* appellata fuit ; & propterea legitur adjecta novellis Juſtiniani ; nam cum hæ Novellæ a Doctoribus diviſæ fuiſſent in novem Collationes , feudorum libri , tamqnam acceſſio , conſtituerunt Collationem decimam , etſi nihil pertineat ad Jus Romanum.

XIII. Ad eoſdem Libros feudorum poſtea multi notas ſcripſerunt , ſive Gloſſas , ut Bulgarus , Pyleus , Ugolinus, Vincentius, Jacobus Columbinus , aliique: hic autem ceterorum curas longe ſuperavit. Et quamvis poſtea nonnulli alia ratione jus feu-

Digitized by Google

dale diviſerunt, & novam ediderunt compilationem, tamen in ſcholis, & in foro Ugolini compilatio magni fuit habita.

XIV. His feudorum libris ubique utimur, & conſtituunt jus commune feudorum; ex eo enim apud nos de feudis controverſiæ dirimuntur, niſi quando jus municipale ſequimur, & di ſcedimus a communi, quod in Regno noſtro paſſim obſervari animadvertit doctiſſimus juris civilis, juriſque feudalis interpres Franciſcus de Andrea *in ſua feudali diſputatione*: & quidem Reges Neapolitani multas circa feuda ediderunt Leges, quas legimus in volumine Conſtitutionum Regni, & Capitulorum, & Pragmaticarum: illud tantum monendi ſumus; cum Fridericus II. & Imperator fuerit, & Rex utriuſque Siciliæ, ejus conſtitutiones, quas legimus in libris feudorum, pertinent ad jus commune; quas vero legimus in conſtitutionibus Regni, pertinent tantummodo ad jus Regni.

XV. Communiter autem docent Interpretes, libros feudorum, licet publica auctoritate nec compoſiti, nec confirmati ſint, tamen vim legis habere, ſiquidem in illis conſuetudines referuntur, quæ uſu immemorabili firmatæ ſunt, quæ non minus obligat Populos, quam ipſæ Leges ſcriptæ, quin etiam videntur hi libri tacite ab Imperatoribus; & Regibus approbati in omnibus iis locis, ubi publice explicati ſunt, quod animadvertit Duarenus *in tractatu de feudis*; & propterea reprehenditur Carolus Molineus a Veſſembecio; ille enim exiſtimabat in feudis, conventiones, & pacta in inveſtitura inſpicienda, & conſuetudines cujuſcumque loci, quibus deficientibus non habere locum jus feudale, utpote privata auctoritate collectum, ſed jus commune Romanorum; id enim, inquit Veſſembecius, ab uſu omnium gentium abhorret, & contrarium communiter omnes Doctores definiverunt.

CAPUT II.

Explicatur definitio feudi, & ejuſdem contractus.

HIs in modum præviæ ejuſdem narrationis præmiſſis, videamus, quanam ratione feudum recte definiri poſſit: & primo animadvertendum eſt feudum duplici modo accipi, *vel pro re*, quæ conceditur, *vel pro ipſo contractu*, ſeu *conventione*, quo feudum conſtituitur; ſi accipitur pro ipſa re, ſic videtur recte poſſe definiri, eſt *res immobilis, quæ fide, & obſequii gratia certo modo fruenda alicui conceditur*: hanc definitionem ſimul probat, & explicat Duarenus *de feudis cap.* 2. *lib.* 3.

II. Verum Cujacius *lib.* 3. *feudorum*, ut Duarenum impugnaret, feudum definivit: *Jus fruendi re aliena in perpetuum, quod pro beneficio Dominus dat ea Lege, ut qui accipit, ſibi fidem, vel militiæ munus, aliudve ſervitium exhibeat*: contendit enim Cujacius feudum non in re ipſa, ſed in jure non minus, ac uſum-

Digitized by Google

uſumfructum conſiſtere.

III. Si feudum jus aliena re utendi fruendi definiri placet, dicendum eſt illud maxime uſuifructui ſimile eſſe, ſic enim uſusfructus definitur a Paulo in *l. 1. D. de uſufructu : eſt jus alienis rebus utendi fruendi ſalva rerum ſubſtantia*. Sed quanam ratione, dicet aliquis, uſumfructum feudo comparamus, cum uſusfructus morte fructuarii finiatur, §. 3. *Inſtitutionum de uſufructu lib.* 2.; feudum vero, etſi antiquitus in Domini fuiſſet poteſtate quandocumque illud auferre, etſi poſtea ad mortem ipſius feudatarii, vel ad filium tantum perduceretur; noſtro tamen jure, ut eſt in *lib.* 1. *feudorum tit.* §. 1. *in fine* eſt perpetuum, & uſque ad infinitum extenditur.

IV. Sed ſciendum eſt, feudum contractum eſſe, in quo non minus ac in uſufructu ea ſpectanda ſunt, quæ primitus intra contrahentes conventa fuere, ut pluribus; *mox* dicemus, quapropter, etſi hodie natura feudi hujuſmodi ſit, ut in perpetuum concedatur, poteſt tamen conveniri in ipſa inveſtitura, ut ad certum tempus duret: ſic e diverſo licet natura uſusfructus ejuſmodi ſit, ut morte uſufructuarii finiatur, poteſt tamen conveniri, ut ad heredem tranſeat. Juſtinianus vero in *leg. antiquitus C. de uſufructu* cavit, ut ad primum tantum heredem poſſit uſusfructus transferri; idque ea ratione, ne inutilis Domino eſſet proprietas tranſeundo in deſcendentes uſufructu; quod ſecus eſt in feudo, ſiquidem licet ſit perpetuum, ejus tamen proprietas non eſt inutilis; Domino enim & ſervitus, & munus militiæ præſtandum eſt.

V. In eo tamen ab uſufructu præcipue feudum diſtinguitur, quod pro feudo vindicatio competit, & utilis actio in rem: uſufructuario vero datur actio in rem, ſed dicitur confeſſoria, quæ competit pro omni ſervitute vindicanda, ut explicatur *in Inſtitutionibus tit. de actionib.* Ex hac autem diſtinctione utilis, & directæ actionis factum eſt, ut in jure feudorum vocabula dominii utilis, & directi introducta ſint a Doctoribus: nam qui feudum concedit, dicitur directum dominium habere, & directus rei Dominus: hinc apud ſcriptores forenſes aliquando Feudatarius dicitur ſimpliciter utilis Dominus feudi, ſiquidem Doctis viris; ut Donello *lib. 9. comment. cap.* 14. & Cujacius *lib.* 20. *obſerv. cap.* 35., non probatur diviſio domini in utile, & directum: ſed reliqua definitionis verba explicemus.

VI. Diximus feudum eſſe jus utendi fruendi re immobili, nam rei mobilis non recte conſtituitur, ſicuti nec emphyteuſis: nam emphyteuſis hac in parte feudo comparatur, ut docet idem Duarenus *in d. cap.* 2.: ſed an pacto caveri poſſit, ut etiam in re mobili feudum conſtituatur? Et monendi ſumus, duo in omnibus contractibus eſſe inſpicienda; primo ea, quæ ſunt de ſubſtantia contractus; ſecundo, quæ ſunt de natura ejuſdem; (ſic recte meo judicio vulgo Interpretes hæc diſtinguunt quamvis vulgarem hanc diſtinctionem Cujacius non probet *in commentar. de feudis in principio*) quæ enim ſunt de ſubſtantia contractus, mutari non poſſunt, neque per actum tolli, niſi etiam contractum ipſum velimus immutare. Sic in contractu venditionis de ſubſtantia ejus eſt pretium ex parte emtoris; ſi quis quæret, an pacto caveri poſſit, ut contrahatur venditio ſine pretio, ſtatim dicemus

mus

Digitized by Google

mus id fieri non poſſe; & ratio eſt, quia cum venditionis ſubſtantia in pretio conſiſtat, ut dicitur in *l.* 32. *Cod. de pactis*, conſequens eſt, ut nullo modo ſine pretio hic contractus ſtare poſſit. E diverſo caveri poteſt pacto, ne evictio præſtetur, quæ de ejus natura eſt, non autem conſtituit ſubſtantiam contractus. Hoc ipſum de feudo dicemus: res immobilis eſt de ſubſtantia feudi, igitur pacto fieri non poteſt, ut in re mobili feudum conſtituatur, quod docemur *lib.* 1. *feudor. tit.* 1.

VII. Quod vero in definitione adjectum eſt jus in feudo eſſe perpetuum, exiſtimo recte adjectum non eſſe, quia non eſt de ſubſtantia feudi, ut ſit perpetuum. Et quamvis feudum ſimpliciter conceſſum, ut in perpetuum intelligatur, quia conſuetudine, & uſu obtinuit, ut eo modo concedatur, tamen pacto, & conventione fieri poteſt, ut feudum conſtituatur ad tempus ex ratione ſuperiori, quia feudum ut ſit perpetuum non eſt de ejus ſubſtantia; & ideo pacto immutari poteſt, ut docet Duarenus *loc. cit.*

VIII. Addidimus in calce definitionis, feudum dari fidei, & obſequii gratia, hoc eſt fidelitatis, unde *ſupra* diximus, a quibuſdam feudum a fidelitate nominatum, & propterea non poteſt conventione effici, ut fidelitas non præſtetur ex communi Doctorum ſententia, nam fidelitas numeratur inter ſubſtantialia feudi. Poteſt quidem paciſci, ne præſtetur juramentum, ne præſtetur obſequium; at nullo modo valet conventio, ne præſtetur fides, ut monet *loco cit.* idem Cujacius. Igitur dicet aliquis, ſi feudum ob fidelitatem præſtatur, debet eſſe gratuitum; feudum enim, ut eſt *lib.* 1. *tit.* 2. non ſub prætextu pecuniæ, ſed honore, & amore Domini acquirendum eſt.

IX. Verum etſi feudum gratuitum & ob fidelitatem tantum concedatur, unde beneficium quoque dicitur, quod ex benevolentia Domini gratis conceditur, *lib.* 2. *tit. ex quibus cauſis feudum amittatur*, tamen fieri poteſt, ut pretium interveniat quod eſt obſequii loco, & oneris militiæ, ut primitus feuda data fuiſſe *ſupra* diximus. Quapropter ut feudum ſit gratuitum, non eſt de ſubſtantia ejuſdem, & ideo poteſt immutari, ut colligitur ex *lib.* 1. *tit.* 28. *& ult.* Non minus tamen & pretio interveniente ad obſequium & fidelitatem Vaſallus obſtringitur, ut monet *ibidem* Duarenus.

X. Videamus de contractu feudi, ſiquidem quoties agitur de ipſius conventione, dubium non eſt eſſe contractum, quo nomine intelligitur ut plurimum ultro, citroque obligatio ex *l.* 19. *Cod. de verb. ſignif.* quod utique apparet in conceſſione feudi, nam Dominus ad rem tradendam obligatur, & ad defenſionem Vaſalli, hic vero ad fidelitatem, & obſequium: cum autem contractus vel juris gentium ſint, vel juris civilis, *l.* 5. *Cod. de pactis*, dicendum eſt, Feudum eſſe contractum ex Jure Civili, quod ſatis manifeſtum eſt ex iis, quæ *ſupra* diximus; nam feudum non a jure gentium, ſed a jure Germanorum, & Longobardorum ortum habuit.

XI. Sunt, qui exiſtimant, feudum eſſe contractum innominatum, ex quo datur actio præſcriptis verbis ſecundum jus Romanorum ex definitione *leg.* 2. *Cod. de præſcript. verb.* Sed verior videtur ſententia Bartoli in *l. juris gentium Cod. de pactis*, qui putat feudum eſſe contractum nominatum, & ex eo naſci

Digitized by Google

ſci actionem in rem, ſive utilem vindicationem, nec poſſe ab eo recedi poſt conventionem, ſive non eſſe locum pœnitentiæ, ut loquuntur DD.: vide Veſſembecium *de feud. cap.* 2.

XII. Poſtremo cum ex jure civili actiones vel dicantur bonæ fidei, vel ſtricti juris ex §. 36. *Inſtitut. de action. lib.* 4., & contractus hanc eandem diviſionem recipiunt, hinc dubitatio eſt de feudo, ſit ne contractus bonæ fidei, an ſtricti juris? Bartolus *loco cit.* cenſet eſſe ſtricti juris, quæ ſententia vera videtur, tum quia in feudo ea tantum intelliguntur, quæ expreſſa ſunt in inveſtitura, ut fuſius dicemus *infra*, tum quia feuda ſunt introducta ex conſuetudine, & conſuetudo ſtricte interpretanda eſt ex communi DD. ſententia, *l.* 3. *Cod. de negotiis geſtis*.

CAPUT III.

De diviſione feudi.

FEUDALIS juris Interpretes in aſſignandis feudorum diviſionibus multum operis, & laboris poſuerunt; ita ut varias diviſiones aliquando commenti ſint, quæ nullius, vel minimi ſunt momenti: nos igitur tantum neceſſarias proponemus.

II. Primo feudum vel dicitur *proprium*, vel *improprium*; feudum proprium appellatur illud, in quo omnia obſervantur, quæ ſunt de natura feudi, ut colligitur ex *tit. de feudo propriam naturam non habente*: de natura autem feudi intelligimus eſſe, quæ feudo conſtituto apparent ſervata in conceſſione feudi: in feudo requiritur inveſtitura, & juramentum fidelitatis & hoc eſt proprium feudi, quemadmodum ut maſculi tantum ſuccedant, non feminæ, & ut illud perpetuo duret in familia *cap.* 1. *de his qui feudum dare poſſunt*, & *cap.* 1. *de ſucceſſ. feudi*; adeo ut non tranſeat in aſcendentes, vel ad filios naturales tantum: item ut Vaſallus ſine conſenſu Domini, & Agnatorum nequeat feudum alienare.

III. Hæc, & alia quamplurima ſunt de natura feudi, quæ tamen per pactum in conceſſione immutari poſſunt, & eo caſu dicitur feudum improprium. Cenſet Veſſembecius *de feud. cap.* 3. hanc diviſionem eandem eſſe, ac eam, quam nonnulli Doctores proponunt in feudum rectum, & non rectum.

IV. Feudum vel eſt *nobile*, vel *ignobile*, quæ diviſio patet *ex lib.* 2. *tit.* 10. Nobile feudum dicitur illud, quod ſuum poſſeſſorem nobilitat: idque accidit, quoties feudum immediate a Rege accipitur, quod & Regale dicitur, ut ſunt feuda Comitatus, Ducatus, Marchionatus: eorum enim poſſeſſores, nobiles ſunt, & Capitanei Regis appellantur in *dict. lib. tit.* 10.

V. Ignobile vero feudum eſt illud, quod accipitur ab iis, qui feuda dare poſſunt, ſed ſummum Imperium non habent, ut ſunt ipſi Feudatarii, qui poſſunt aliquando alios ſubinfeudare.

Digitized by Google

dare. In Regno noſtro, quæ feuda accipiuntur a Rege, vulgo appellantur *Feuda Quaternata*; quæ a Feudatariis, dicuntur *plana*, *&* *de tabula*. Hoc autem explicat Andreas de Iſernia in *tit.* 45. *lib.* 2.; nam cum uſus ſit, ut in Camera Principis, unde feuda conceduntur, ſcribantur nomina Feudatariorum in Quaternionibus, ideo quoties feudum Rex concedit, appellatur quaternatum, quoties vero conceditur ab ipſo Feudatario, dicitur planum, & de Tabula, ſcilicet quod ſcriptum tantum reperiatur in Tabulis ipſius Baronis. Duæ autem hic moveri poſſunt quæſtiones, & quidem non inutiles, quarum prima hæc eſt, ſi Imperator, vel Rex alicui feudum conceſſerit nullius dignitatis, e. g. ſi dederit in feudum unum Manſum (hoc vocabulum in *cap.* 1. *de cenſibus* ſignificat agrum duodecim jugerum, ut ibi explicat Gonſalez) an tale feudum, licet a Principe conceſſum, nobilitet poſſeſſorem ſuum. Et putat Duarenus tale feudum nobile non dici; ad hoc enim non tantum requiritur, ut ſit conceſſum a Rege, ſed ut habeat dignitatem, quale *ſupra* diximus eſſe feudum Comitatus, Ducatus &c. E diverſo (& hæc eſt altera quæſtio) cenſet idem Duarenus nobile non eſſe feudum, quoties conceditur ab ipſis Feudatariis cum titulo; & utitur hac ratione, quia Nobiles habent munerum vacationem, quam Princeps tantum concedere poteſt, ut apparet ex *tit. Cod. de iis, qui a Principe vacationem acceperunt*: igitur ſolum Princeps poteſt nobiles facere, quod nec Ducibus, nec Comitibus permittitur, etſi feudum nobile fortaſſis in alium transferant.

VI. Dividitur quoque feudum in *Ligium*, & non *Ligium*, quæ diviſio idem ferme ſignificat, ac ſuperior. Feudum ligium appellatur, quod ab Imperatore, vel Rege; non ligium, quod ab eo accipitur, qui Superiorem habet: Dictum autem eſt feudum ligium, ut communiter Doctores tradunt, quod fortius ligat, ideſt obligat Vaſallum, propterea in eo obſervatur, ut præſtetur juramentum fidelitatis, nemine excepto: at ſecus ſe res habet, cum feudum concedit, qui habet Superiorem; nam præſtatur ei juramentum fidelitatis, ſed excepto Imperatore, quibus ante omnia debetur fidelitas, & propterea tale feudum non ligium appellatur, vide *tit.* 55. *in fine lib.* 2. *feudor.* Ex hac feudi diviſione orta eſt in Jure feudali, & in ſermone vernaculo vox *homo ligius*, quæ nihil aliud ſignificat, quam Vaſallum, qui fortiori vinculo Domino ſuo adſtringitur, adeo ut fidelitatem, nemine excepto, debeat.

VII. Eſt etiam hæc diviſio feudi recepta, ut aliud ſit *antiquum*, aliud *paternum*, aliud vero *novum*. Antiquum feudum dicimus, quod quis accepit ab aliquo ex ſuis aſcendentibus ultra quartum gradum; Paternum vero, quod provenit ex ſucceſſione aſcendentium intra quartum gradum. Verum, ut recte notat Baldus *lib.* 1. *feudor. tit.* 8., antiquum, & paternum feudum inter ſe effectu non differunt. Dicitur vero novum feudum quoties ab ipſo poſſeſſore eſt acquiſitum, ut colligitur *ex lib.* 2. *tit.* 18., quod feudum procedente tempore in deſcendentibus fit paternum, & antiquum, *lib.* 2. *tit.* 3., ubi cenſet Andreas de Iſernia, feudum licet antiquum, novum cenſeri, quoties ad Dominum reverſum, puta ob aliquod crimen poſſeſſoris, novis legibus, & nova inveſtitura concedatur ejuſdem ſucceſſoribus.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Hæc autem in re notabilis eſt doctrina Zaſii, qui cenſet novum quoque feudum dici debere, quoties Nobiles bona allodialia curaverunt feudo adjungi, *de feud. part.* 3. *num.* 8. Non levis momenti eſt diſcrimen inter feudum novum, & antiquum; ſiquidem antiquum feudum, vel paternum ſucceſſores conſequuntur ſine ulla traditione, vel Inveſtitura, jure tantum ſucceſſionis, *lib.* 1. *tit.* 14.: in feudo autem novo aliter ſe res habet; nam omnino requiritur inveſtitura *lib.* 1. *tit.* 25.: in antiquo feudo agnati, & collaterales, liberis deficientibus, ſuccedunt; in novo ſecus eſt; vide Veſſembecium *de feud. cap.* 2.

IX. Hinc ſolent Interpretes quæſtionem agitare, etſi Dominus novum feudum alicui concedat, & in conceſſione dicat ſe illud concedere jure feudi antiqui, vel paterni, an tale feudum revera ut antiquum habendum ſit. Quidam cenſent poſt Oltradum *in tract. de feud.*, ejuſmodi feudum non mutari verbis conceſſionis, ſed novum remanere, ea ratione, quia verba immutare non poſſunt rei veritatem; & propterea cum tale feudum novum ſit natura ſua, non poterit fieri antiquum ex verbis conceſſionis. Sed verior videtur contraria ſententia; nam certi juris eſt, ut diximus *ſupra* poſſe feudum immutari pacto, & conventione, dummodo ea obſerventur, quæ ſunt de ſubſtantia ejuſdem, & ideo cum dominus feudum novum concedit, ut antiquum, videtur conſenſu, & pacto id effectum eſſe, ut in feudo novo ea obſerventur, quæ in antiquo ſtatuta ſunt. Ratio igitur, qua uſus eſt Oltradus, nullius momenti cenſetur; non enim conceſſionis verbis rei immutatur veritas, ſed per pactum aliquid in feudo intelligitur, quod ſine conventione aliter ſeſe haberet.

X. Cum *ſupra* diximus feuda quædam eſſe impropria, inter illa præcipue numerantur *in libris feudor.* Feuda *Guardiæ*, & *Gaſtaldiæ*, ut legitur titulus in iiſdem libris feudalibus: dicitur feudum Guardiæ illud, quod Dominus concedit ob cuſtodiam alicujus loci; Guardia enim apud Barbaros cuſtodia dicebatur, vide Cujacium in *tit. de feud.* Feudum autem Gaſtaldiæ appellatur illud, quod conceditur ob gubernationem, ſeu regimen alicujus loci. Hinc apud Longobardos Gaſtaldi dicebantur quidam Feudatarii, quaſi gubernatores alicujus loci. Erant autem hæc feuda impropria, quia cum feudi natura ſit, ut in perpetuum concedatur, *lib.* 1. *tit.* 1., hæc tamen feuda anno tantum durare ſolebant, quod moribus noſtris amplius non ſervatur, vide Matthæum de Afflictis *de feudo Guardiæ*, & *Gaſtaldiæ*. Feminina etiam feuda ſunt impropria, quia cum in feudis ex jure Longobardorum, ut dicemus *infra*, feminæ ſint excluſæ, ſi pacto admittantur, tale feudum erit femininum, & improprium, quia eſt contra jus receptum, *lib.* 2. *tit. de feud. feminæ*.

XI. Poſtremo notanda eſt diviſio inter *fundum* & *allodium*; apud Longobardos enim feudum denotabat rem cum onere Militiæ, & fidelitatis: Allodium erat prædium liberum ſine ulla obligatione; dicebantur etiam bona libera burgenſatica, qua voce etiam hodie utimur, quaſi bona poſſeſſa a Burgenſibus: erant Burgenſes, ut notat Cancius *in gloſſario*, habitatores burgorum, ſeu villarum clauſarum, qua voce & Galli vernacula lingua utuntur. Igitur bona, quæ poſſidebant ii, qui Prin-

Principem comitabantur ad bellum, dicebantur feudalia, quaſi conceſſa cum tali onere; hinc oppoſiti inter ſe erant Burgenſes, & Vaſalli: Vaſalli enim, ut notat Struvius *in hiſtoria juris feudalis*, dicti ſunt ab antiqua Gallorum voce *Vaſal*, quæ denotabat ſatellitem, qui gerebat haſtam in bello, quaſi haſtarius.

CAPUT IV.

Qui feudum dare poſſunt.

GENERALITER quidem traditur *lib.* 1. *feud. tit.* 5., perſonas Eccleſiaſticas feudum dare poſſe ut ſunt Epiſcopus, Abbas, Abbatiſſa, Præpoſitus. Quid eſt igitur, quod cavetur *in tit. 6. ejuſdem libri*, Epiſcopum, vel Abbatem non poſſe feudum dare de rebus Eccleſiarum, quæ ei ſubjecta ſunt, & tituli vocantur? Hoc ſane explicat Cujacius *in princ.* 1. *feudor.*, Urbanum II. Pontificem Placentiæ Concilium habuiſſe, in quo Eccleſiaſticorum mores, licentiamque correxit, & hoc etiam inter cetera cavit, ne ulla fieret ordinatio ſine titulo, ideſt rebus quibuſdam ordinato non aſſignatis, unde ſe alere poſſit, quod & in *can.* 2. *diſt.* 70. præfertur. Horum igitur titulorum res prohibuit Pontifex, Epiſcopos, & ceteras Eccleſiaſticas perſonas in feudum dare; & merito, quia proprio patrimonii jure ad Eccleſias pertinent. Cum autem noſtra ætate omnia ferme Eccleſiæ bona propriis uſibus aſſignata ſint, ſequitur ex iis amplius feudum conſtitui non poſſe, præſertim poſt conſtitutionem Pauli II. in *extravag. ambitioſe*, ex qua omnis ferme alienatio rei Eccleſiaſticæ inconſulto Pontifice prohibetur. Et quamvis feudum proprie alienatio non ſit, nam qui illud concedit, retinet dominium directum; nihilominus circa fructum aſſignationem videtur aliquo modo fieri alienatio.

II. Non ſolum Epiſcopus de rebus Eccleſiæ novum feudum olim poterat conſtituere, ſed etiamſi feudum jamdiu conceſſum ad Eccleſiam rediiſſet, poterat iterum alteri concedi: quod & temporibus noſtris obſervatur, ubi talis eſt conſuetudo. Cenſuit tamen Alvarotus *in cap.* 1. *qui feudum dare poſſunt*, ſi Eccleſia inopia prematur, non debere Epiſcopum feudum amplius concedere, ſed teneri, Eccleſiæ utilitati conſulere, & illud ſervere; quæ ſententia non videtur rejicienda, modo temporum ratio, & evidens utilitas id exigere videatur.

III. Quamvis Romani Pontificis in jure feudali mentio ſit, cum perſonæ enumerantur, quæ feudum dare poſſunt; tamen certum eſt, illum de rebus Eccleſiaſticis feuda conſtituere, non tantum, quæ ad Romanum patrimonium, ſed & quæ ad ceteras pertinent Eccleſias, ut docet Baldus in *cap.* 1. *lib.* 2. *feudor.*; ſiquidem cenſetur Pontifex in iis conceſſionibus ſemper reſpicere utilitatem Eccleſiæ.

IV. Animadvertendum tamen eſt, non poſſe Pontificem feudum conſtituere in iis rebus, in quibus vel Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, vel cujuſvis Eccleſiæ Prælato jamdiu feuda data

Digitized by Google

data erant ; nam cum per primam conceſſionem utile dominium in accipientem translatum erat , nil eſt reliqui , quod amplius transferri poſſit; nam duo in ſolidum ejuſdem rei Domini eſſe non poſſunt, *l.* 3. §. 4. *Cod. de acquir. poſſeſſ.* .

V. Quod attinet ad perſonas laicas, certum eſt tum Imperatorem, tum Regem facultatem feudi conſtituendi habere, præſertim quia ſuperiorem non habent, imo & feuda ab iis conceſſa dignitatem, nobilitatem, & titulum continent, ut *ſupra* diximus . Hinc orta ſunt feuda , *Marchionatus*, *Comitatus*, *Ducatus*. Marchionatus dictus eſt a limite; ii enim duces , qui limitibus alicujus Regni præficiebantur , dicti ſunt & Duces limitanei, & Marchiones; voce enim germanica pars appellatur limen, ut notat Duarenus *de feud. cap.* 1.: Alciatus vero Marchionem interpretatur Præfectum Equorum; cum enim mos apud antiquos Gallos , & Germanos eſſet in bello , ut ſingulos Equites belligerantes cum equis ſequerentur alii duo, qui Domini equo occiſo ſuum ſubmitterent , hi equi priſca eorum lingua *mare* dicebantur, unde , quia eſſent equorum præfecti dicti ſunt Marchiones : ſed Alciato non aſſentitur Cujacius *de feudis lib.* 1. *tit.* 1., Longe autem a vero aberravit Gerardus qui *lib.* 2. *tit.* 10. exiſtimavit, Marchionem dici, quod ſit juxta mare . Duces vero dicebantur , qui exercitum ducebant , ut apud Tacitum in *lib. de moribus Germanor.* . Qui vero erant in Comitatu Regis , a comitando dicebantur Comites , & feuda conceſſa , Comitatus .

VI. Poſſunt etiam feminæ feudum concedere , quoties aut ſucceſſionis titulo , aut alio modo in tale jus pervenerint . Qua in re notant doctiores Interpretes a jure Romano diſcedi , ex quo feminæ ab omnibus officiis civilibus removentur , un *leg.* 2. *Cod. de regulis juris* , adeo ut nec Judices eſſe , nec Magiſtratum exercere poſſint : at feuda concedendo juriſdictionem feminæ habent , ſiquidem feudali jure ſtatutum eſt *lib.* 2. *tit.* 46. , ſi inter duos circa feudum naſcatur controverſia , omnino diſceptationem pertinere ad Dominum feudi .

VII. De minore vigintiquinque annis quæſitum eſt, an poſſit feudum concedere . Et quidem jure civili ſatis conſtat per conſtitutionem Imperatoris Severi prohibitam minoribus fuiſſe rerum ſuarum alienationem , *l.* 1. *Cod. de reb. eor. qui ſub tutela &c.* : hinc ſtatuitur *lib.* 2. *tit.* 3. nullo modo feudum conſtituere eos poſſe , qui rerum ſuarum liberam adminiſtrationem non habent . Hac autem ratione intelligitur , quoties agitur de novo feudo concedendo , ſiquidem non prohibetur minor antiquum feudum renovare , ſeu de antiquo feudo inveſtituram concedere ; tali enim caſu nulla intelligitur alienatio .

VIII. Cum agitur de feudo novo, etiamſi Tutor , vel Curator interveniat, non poteſt minor feudum concedere ; illi enim nequeunt Auctores fieri , ut minores donent ex *l.* 22. *C. de pact.* . Sin autem de alio feudo agatur , conceſſio fiet a minore , adhibita tantum auctoritate Tutoris , vel Curatoris ſine aliis ſolemnibus , quod probatur in l. 5. §. *ſi pupill. Cod. de rebus eor. qui ſub tutela*, ubi hanc ſpeciem Ulpianus proponit : quidam pater familias ſtipulanti fundum ſpopondit , ſucceſſitque pupillus patri , quæritur,

Digitized by Google

tur, an ille auctoritate Judicis fundum tradere debeat; & ait Juriſconſultus, interventum Judicis non eſſe neceſſarium ea ratione, quia pupillus rem ſuam non alienat, ſed potius obligationi a patre contractæ ſatisfacit.

IX. De Procuratore quæſitum eſt, an poſſit feudum concedere, & affirmatur *in tit.* 3. *lib.* 2.; quod hac diſtinctione adhibita explicant DD., ut ſi Procurator ſpeciale mandatum habeat, & novum, & antiquum feudum concedere poſſit, ſin vero generale tantum, antiquum feudum confirmare, non autem novum concedere valeat.

CAPUT V.

Qui poſſunt accipere feudum.

GENERALITER definitur *in tit.* 3. *lib.* 2. *feud.*, unumquemque poſſe feudum accipere, & de eo inveſtiri: verum nonnullæ exceptiones huic regulæ adjiciendæ ſunt. Servus quidem poteſt feudum accipere *dicto tit.* 3. §. *perſonam*; verum hæc acquiſitio intelligitur facta Domino. Quid autem ſi quis feudum conceſſerit ſervo, quem liberum eſſe putabat, an valebit hujuſmodi conceſſio? Et negatur in *d.* §. *perſonam*, ubi hæc verba leguntur, *etiam ſervus inveſtiri poterit, niſi ignoranti prætendatur*: & ratio eſt evidens, quia non cenſetur Princeps voluiſſe feudum acquiri Domino illius ſervi, cum exiſtimaret eum liberum eſſe.

II. Fingamus Dominum ſervo proprio feudum dediſſe, an valebit conceſſio? Quidam ex interpretatione huc accommodant, quod jure civili ſtatutum eſt in hereditate *ex tit. Inſtitutionum de heredibus inſtituendis*, ubi dicitur ſervum inſtitutum heredem a Domino ſuo, licet non dederit libertatem, eodem tempore fieri liberum, & heredem; & propterea cum feudum poſſidens non poſſit ſervus eſſe, quia eſt incapax cujuſcumque acquiſitionis, ideo ſequitur, Dominum concedendo feudum ſervo voluiſſe eodem tempore illum & acquirere feudum, & ſui juris eſſe. Imo videtur in hac ſpecie, ſi feudum ſit dignitatis, voluiſſe etiam eum declarare ingenuum, & natalibus reſtituere: ſolebant enim olim Romani Imperatores ſervos vel annulorum conceſſione, vel reſtitutione natalium ingenuos declarare, ut patet ex titulis *de jure aureor. annulor.*, *de natalibus reſtituendis*.

III. Filiusfamilias non prohibetur feudum accipere: qua in re notatu digna eſt Zaſii ſententia exiſtimantis recte feudum acquiri filiofamilias, etiamſi ille, qui dederit, in ipſius perſona erraverit, putans eum patremfamilias eſſe; hunc enim errorem ait Zaſius conceſſioni non officere: conditio enim filiifamilias non eſt ejuſmodi, ut non poſſit ille feudum habere, quod ſecus eſſe in ſervo *modo* diximus.

IV. Quæſitum eſt, an in feudo per filiumfamilias acquiſito patri ſaltem debeatur uſusfructus; ſiquidem jure civili ſtatutum eſt de quibuſdam

Digitized by Google

dam bonis per filiumfamilias acquiſitis patri uſumfructum deberi, ut eſt peculium adventitium, *ex l. 6. Cod. de bonis, quæ liberis*. Et videtur recte idem Zaſius ſentire, uſumfructum non pertinere ad patrem, & utitur hac ratione, quia cum feudum habeat onus militiæ, videtur quodammodo peculium caſtrenſe; generaliter enim ſtatuitur in *l.* 1. *Cod. de caſtrenſi peculio lib.* 12., omnia, quæ per occaſionem militiæ acquiruntur, loco caſtrenſis peculii eſſe.

V. An feminæ poſſint feudum habere, juſta eſt dubitatio; feudorum enim jure feminæ ullo modo ad ſucceſſionem vocantur, *lib.* 1. *tit.* 1. id vero expreſſe cavetur, poſſe in feudali ſucceſſione ſtatui, ut etiam feminæ ſuccedant, & propterea nihil vetat, ut dicamus feminas etiam feudum acquirere poſſe, non tantum antiquum ex tenore conceſſionis, ſed etiam noviter poteſt eis concedi inveſtitura, ut videre eſt in *tit.* 23. *lib.* 1.

VI. Infantes, furioſi, ſimileſque perſonæ, quarum nullum animi judicium eſt, feudum acquirere non poſſunt. Verum quod de hereditate acquirenda eſt receptum, ut per Tutorem, vel Curatorem infanti, vel furioſo acquiratur, *l.* 18. *Cod. de jure deliberandi* idem in feudo dicendum eſſe cenſeo. Pupillum vero ſine Tutoris auctoritate feudum acquirere poſſe communiter placuit ex *l.* 11. *Cod. de acquir. rer. dom.*; ubi dicitur pupillum, quantum ad acquirendum, non indigere Tutoris auctoritate. Nec nos movere debet, quod pupillus ſit obligatus ad fidelitatem, cum nullo modo obligari poſſit ſine Tutoris auctoritate; ſiquidem jure feudali expreſſe conſtitutum eſt, minorem non cogi ad fidelitatem præſtandam, niſi pervenerit ad majorem ætatem *tit.* 26. *lib.* 2. §. *ſi quis per triginta*.

VII. An Clericus, vel Monachus feudum accipere poſſit, quæſitum eſt: & quidem *in libris feudor.* contraria hac de re ſcripta apparent; nam *in tit.* 40. *lib.* 2. ſpecies proponitur, in quo Abbas, vel Epiſcopus ob culpam feudum amittit, ſive ſit proprium, ſive Eccleſiæ: at *in tit.* 30. *ejuſdem libri* dicitur Clericum nullo modo in feudum paternum ſuccedere; quod etiam confirmatur *in tit.* 36. *ejuſdem lib.*.

VIII. Ad hæc autem concilianda dicemus, Clericos, & generaliter perſonas Eccleſiaſticas feudum acquirere poſſe, quod jure Canonico confirmatur ex *cap.* 5. *de judiciis*, & *cap.* 6. *de foro competente*, & propterea ubi dicitur perſonam Eccleſiaſticam habere feudum, intelligitur de feudo noviter acquiſito, in aliis vero locis ſermo eſt de ſucceſſione ad feudum: ſiquidem cum perſonæ Eccleſiaſticæ ea ſit conditio, ut rebus mundi derelictis Dei miniſterio daret operam, turpe videtur, ut etiam poſt mutationem ſtatus velit feudo ſuccedere, quod pluribus explicabimus *infra*, ubi agetur *de ſucceſſ. feudali*.

IX. Illud vero in feudo Clericis conceſſo animadvertendum eſt, ut quoties ſuper eo naſcatur controverſia, omnino ipſius feudi Dominus adeundus ſit, quamvis ſit laicus, *d. cap.* 6.: E contrario idem obtinet in feudo laicis conceſſo a perſonis Eccleſiaſticis. Hæc autem uſu apud nos obſervantur, nam perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ in Regno poſſident feuda ſuper iiſdem controverſiam proponere tenentur apud Regios Judices.

X. Demum per Procuratorem etiam

Google

etiam feudum acquiri non minus, ac concedi poſſe aperte traditur *in tit.* 1. *lib.* 2., nam utrum ipſe vel alius pro te inveſtituram faciat, vel ſuſcipiat, nihil intereſſe putatur: hoc autem intelligitur quoties Procurator ſpeciale mandatum habet; nam cum in feudo præſtandum ſit juramentum fidelitatis, vel recipiendum, id utique efficere non poterit, niſi Procurator, qui ſpecialiter id fuit conceſſum.

CAPUT VI.

Quæ res in feudum dari poſſunt.

NON omnes quidem res, quæ in patrimonio ſunt, & quarum non interdicta alienatio, poſſunt in feudum dari, ſed tantum immobiles, ut ſunt prædia, tam urbana, quam ruſtica, §. *ſciendum tit.* 1. *lib.* 2.: rerum enim mobilium feudum conſtitui nequit; & ratio petenda eſt ex ipſa feudorum natura; ſiquidem uſus tantum, ſive, ut vulgo dicitur, utile dominium transfertur in accipientem ſeu poſſeſſio tantum, ut eſt *in tit.* 8. *lib.* 2.; proprietas enim, ſeu dominium directum remanet penes Dominum, quod omne in rebus mobilibus fieri nequit, quæ uſu conſumuntur, §. 2. *Inſtitutionum de uſufructu*: quod enim utilitatis cauſa Senatus olim cenſuit, ut per cautionem in rebus mobilibus conſtituatur quaſi uſusfructus, id in feudo nullo modo receptum eſt.

II. Quædam tamen res, etſi mobiles ſint, tamen inter immobiles adnumerantur, ut ſunt annui redditus *ex Clementina* 1. §. *cumque de verbor. ſignif.* Unde vulgo docent Interpretes poſſe de iis redditibus feudum conſtitui. Dubium vero eſt, an in pecunia numerata conſtituatur recte feudum *ex tit.* 25. *lib.* 2., ubi talis ſpecies proponitur: Vaſallus conventus in judicio de re ſibi in feudum data Dominum directum interpellavit, ut in judicium veniret, quo recuſante Vaſallus tandem ad reſtitutionem feudi condemnatus eſt, quæritur quinam ratione jus ſuum conſequi poſſit a Domino; & reſpondetur debere Dominum conſtituere Vaſallo feudum ejuſdem exiſtimationis, aut nummos in feudum dando numerare. Sed hæc nihil nos movere debent, non enim recte conſtituitur feudum, in quo Dominus nullum jus, nullamque proprietatem habet: ſpecies enim ſuperior ſic debet intelligi, ut vel alia res detur in feudum, vel pecunia numerata, ex qua res feudalis ejuſdem qualitatis emi poſſit.

III. Annui igitur redditus, non autem pecuniæ numeratæ feudum conſiſtit: quod ſi annui redditus ex Ærario Principis erant, dicebatur apud Longobardos *feudum novum de Camera*. Camera enim, ut explicat Andreas de Iſernia, intelligitur locus, ubi conſervatur publica pecunia: ſolebant enim olim Principes Longobardi ex vino, oleo, frumento, ſingulis annis præſtando feudum conſtituere ex Cellario, unde dicebatur feudum *Cavenæ*, quo vocabulo apud eoſdem Longobardos denominabatur locus, ubi illæ conſervari ſolent; referunt hæ ſpecies *feudorum lib.* 2. *tit.* 58.

IV.

Digitized by Google

IV. Poteſt etiam earum rerum feudum conſtitui, quæ licet proprie immobiles non ſint, tamen inter immobilia numerantur, quia ſolo cohærent, ut ſunt molendina. Jus quoque verſandi quibuſdam placuit inter immobilia referre, ut videre eſt apud Giphanium *de feudis diſputat.* 3., unde recte poterit tale jus ab Imperatore, vel Rege in feudum dari; quia eſt veluti quædam ſervitus, ſervitus autem, inter immobilia numerari ſatis conſtat ex *l.* 1. *Cod. de ſervitutibus & aqua*.

V. Hac eadem ratione etiam jus piſcandi in flumine in feudum dari poſſe quidam exiſtimant. Juriſdictio quoque a Doctoribus inter res immobiles numeratur, & propterea exiſtimat Veſſembecius *de feud. cap.* 9., recte eam poſſe dari in feudum, quod & in Regno noſtro paſſim obſervatur, adeo ut vix ullum ſit feudum, quod non contineat etiam merum imperium; & vulgo Doctores noſtri induxerunt majorem facultatem circa juriſdictionem habere Barones in feudo, quam Judices a Rege conſtitutos, quia illis conceduntur literæ arbitrariæ: ſed non eſt hic locus pluribus ea de re diſputandi.

VI. Quid igitur ſi Dominus directus alicui conceſſerit urbem aliquam, vel oppidum in feudum, an intelligetur quoque & juridictionem conceſſiſſe? utique negandum eſt, niſi ex conſuetudine juriſdictio ſolita ſit concedi, præſertim in Caſtris, ubi neceſſario exercenda eſt Juriſdictio, ut cenſent communiter Doctores: hoc autem in regno noſtro non obſervatur, ſiquidem numquam cenſetur juriſdictio conceſſa in quocumque loco, niſi ſpecialiter ſit expreſſum: imo cum ſolebant feuda ut plurimum vendi, venditio, & pretium juriſdictionis ſeparatum eſt; nam ex juridictione commodum, & utilitatem percipiunt feudatarii, præſertim in exactione pœnæ pecuniariæ, & tranſactionis delictorum, in quibus id non prohibetur.

VII. Idem dicendum eſt de Regaliis, quæ poſſunt quidem in feudum concedi, modo ſpecialiter exprimantur: dicuntur autem in libris feudorum Regaliæ omnes illæ res, quæ in quacunque Civitate non pertinent ad privatos, ſed ad publicum, & ad Principem: & quia ſpecialiter ad Regem pertinent, ideo eo nomine appellantur. Cujacius quidem *lib.* 2. *feud. tit.* 56. *quæ ſint Regaliæ* omnia jura fiſcalia eo nomine cenſet contineri. *In dicto autem tit.* primo loco numerantur *Armanniæ*, quas idem Cujacius interpretatur fabricas, & publica armamentaria, quæ loca ſibi ſemper Principes vindicarunt, ut patet *Novell. Juſt. ſub tit. de armis*: ſic etiam publice *flumina navigabilia*, aut ex quibus alia fiunt navigabilia, ut loquitur Juriſconſultus in *l.* 2. *D. de flum.*, etiam inter Regalias ponuntur. Similiter *jus, & cura Portuum, littorum, & riparum*, quæ in *d. tit.* 56. *ripatica* appellantur: ne quid in his fiat, pertinet ad Principem, & propterea eadem cura, ſive facultas prohibendi poteſt quoque in feudum concedi.

VIII. Jus etiam exigendi in portu a navibus in introitu, & exitu urbium certa vectigalia, quæ in Codicis tit. appellantur *Telonia*, numeratur quoque inter Regalias, unde poteſt in feudum concedi. Eſt quidem Telonium menſa publicanorum, qui exigunt Regis nomine vectigalia, quæ publicis neceſſitatibus deſerviunt. Soli namque Principi datum eſt, quia

quia Superiorem non habet, nova vectigalia imponere poſſe, ut apparet ex *tit. Codicis nova vectigalia inſtitui*. Igitur Feudatarii nihil poſſunt exigere in feudis nomine vectigalium, aut tributorum, niſi ſpecialiter tale jus acceperint a Principe, cui tantum facultas conceditur.

IX. *Monetæ* etiam *cudendæ* jus ſolius eſt Principis, niſi ipſe eam facultatem alicui conceſſerit, *l. ult. Cod. de falſa moneta*, unde tale jus numeratur inter præcipuas, ſive ſummas Regalias, quod nunquam ſolet concedi. Numeratur inter Regalias *mulctæ indicendæ jus*, ſeu certæ pœnæ irrogandæ delinquentibus, quod pertinet ad Fiſcum Principis, & propterea eſt pars juriſdictionis.

X. Regaliæ quoque ſunt *Angariæ*, & *Perangariæ*: Angaria, ut ait Suidas *in lexico*, eſt vox origine Perſa, & propterea ſignificat ſervitutem coactam, ſed in uſu feudorum nihil aliud ſignificat, quam operam ſubditorum in Provinciis, per quas Rex proficiſcitur in expeditionem, quæ proprie conſiſtit in jumentis præſtandis, portandiſque armis. Perangariæ vero dicuntur, cum præter operas in portandis armis, & jumentis, aliquod etiam impenditur, unde præſtatur munus non tantum perſonale, ſed etiam patrimoniale. His muneribus neminem excuſandum eſſe præcipitur in *l. 11. Cod. de ſacroſ. Eccleſiis*, etiamſi provinciales poſſideant bona, quæ ad Eccleſias pertinent. Harum præſtationum uſum olim apud Romanos fuiſſe colligitur ex Livio *lib. 42. cap. 1.*

XI. Si igitur conceduntur in feudum Angariæ, & Perangariæ, intelliguntur conceſſæ ſuperiores præſtationes. Verum in regno noſtro, cum aliquando conceſſæ fuiſſent Angariæ, & Perangariæ, eo modo acceptæ ſunt, ut homines Baronum tenerenter laborare in eorum territoriis vel accepto ſtipendio, ſi eſſent tantum Angariæ, vel ſine ſtipendio, & ſuis ſumtibus, ſi eſſent Perangariæ. Verum hæc omnia tamquam nimis dura, & aſpera, ut plurimum receſſerunt ab uſu; immo *ex conſtit. Caroli V.*, quæ legitur in *pragm. 56. de Baronibus*, ſtatutum eſt, ut conceſſo feudo cum Angariis, & Perangariis nihil novi cenſeatur conceſſum, præter ea, quæ alias conceſſa, & conſtituta fuerunt.

XII. Numerantur etiam inter Regalias *auri*, & *argenti fodinæ*, quæ *argentariæ* appellantur in *cit. lib. 2.*, ſicuti etiam *ſalinæ*, vel loca, ubi metalla, vel quævis alia ejuſdem materiæ effodiuntur, quæ dubium nullum eſt feudum dari poſſe: id vero ſic eſt intelligendum, modo harum rerum locus ſit ipſius Principis, qui feudum conſtituit; nam ſi ejuſmodi fodinæ pertineant ad privatos, non poterunt in feudum dari, niſi ex conſenſu Dominorum; ſiquidem Romanis legibus cautum eſt, ut privati ejuſmodi fodinas inveniendo in ſuis prædiis ſibi acquirant, modo ex eis præſtetur decima pars Fiſco Principis ex *l. 3. Cod. de metallariis lib. 11.* Quo ſenſu exiſtimo, hanc decimam partem, quæ Principis propria eſt, poſſe in feudum concedi; ſiquidem omnia jura fiſcalia proprie ſunt Regaliæ, &, ut *ſupra* diximus, in feudum concedi poſſunt. Ob eandem rationem quidam cenſent *theſauri inventionem* poſſe in feudum concedi ex *dicto tit. 57.*, quod jure Romano intelligitur de portione tantum, quæ pertinet ad fiſcum de theſauro invento in loco Principis. In Regno autem noſtro ex *conſtit. Caroli V. Andegavenſis*, *quæ incipit prædicti Magiſtri*, cum

cum theſaurus pertineat ad Principem quocunque in loco ſit inventus, poterit etiam omnis acquiſitio in feudum dari.

XIII. Videamus modo, an in rebus Eccleſiæ recte feudum conſtituatur, qua in re diſtinguendæ ſunt res Eccleſiæ a rebus ſacris; cum enim harum rerum commercium prohibitum eſt, in feudum illæ dari nequeunt. Sin vero Eccleſia ex liberalitate Regum, vel Principum res aliquas poſſideat ſibi donatas, puta villas, prædia &c., quarum commercium eſt, poſſunt eæ a Prælato in feudum dari, modo adſit Romani Pontificis aſſenſus, ut *ſupra* diximus. Non debet autem Prælatus, ut habetur ex *tit.* 4. *lib.* 2., alia ratione, alia lege feudum concedere, quam alias fuit conceſſum.

XIV. Circa *decimas* ſolet moveri quæſtio, an poſſint in feudum dari: affirmat Giphanius *diſput.*3. *de feud.*, & ait eam communem DD. ſententiam eſſe uſu confirmatam: ſcribit autem idem auctor *cap.* 7. *de feud.*, poſſe iterum feudum decimarum extinctum, & ad Eccleſiam reverſum, alteri rurſus concedi ex moribus Germaniæ, Lombardiæ; ſecus vero ſeſe rem habere in Gallia monet Duarenus *de feud. cap.* 5., ibi enim ex Regiis conſtitutionibus prohibetur feudum decimarum ad Eccleſiam reverſum iterum per infeudationem novam concedi.

XV. Quæritur, an res a ſuperiore in feudum conceſſa poſſit iterum ab ipſo feudatario alteri in feudum concedi. Et prima fronte negandum videtur *ex conſtitut. Imperatoris Friderici lib.* 2. *tit.* 55. *de prohibita feudi alienat.*, nihilominus hujuſmodi conceſſiones jure poſſunt fieri, ut *ex tit.* 1. *lib.* 1.; ſiquidem conſtitutio intelligenda eſt de alienatione feudi, quæ ſit in fraudem Domini: nam quoties ſit bona fide, & ex illius conſenſu, non prohibetur. Hinc uſus invaluit; ut ille, qui a Feudatario accipit feudum, dicatur *Subfeudatarius*, & res quam accipit in feudum, dicatur *ſubfeudum*. De ſubfeudis volumen compoſuit Marinis Freccia Neapolitanus Juriſconſultus, ubi accurate, etſi aliquantum confuſe, jus hac de re receptum conatur. In regno noſtro non omnes feudatarii poſſunt concedere ſubfeuda, ſed ii tantum, qui ſpecialiter eam facultatem habuerunt in Inveſtitura.

XVI. Cum in alienatione feudi requiratur Regius aſſenſus, ut dicemus *infra*, quoties agitur de ſubfeudo alienando, & in alium transferendo, non requiritur Regius aſſenſus Baronis, a quo fuit illud conceſſum, ut notat idem Auctor *loco citato*: idque non præjudicat directo dominio Regis; nam ſive ſubfeudum uni concedatur, ſive alteri, Regis nihil intereſt, modo ipſe feudatarius de univerſo feudo jam conceſſo præſtet onera, quæ feudo ſunt annexa.

XVII. Ex jure apud nos recepto, quoties Relevium exigendum eſt a Subfeudatario, id non pertinet ad Regem, ſed ad ipſum Baronem, qui univerſi feudi ſolvit, & præſtat Relevium. Juramentum quoque fidelitatis ipſi Barones exigunt a Subfeudatariis, cum Regis tamen conſenſu; & in ſumma Dominus habetur tamquam judex ordinarius feudi a ſe conceſſi, ita ut controverſiæ, quæ de eo oriuntur, ad ipſius pertinent cognitionem, & Juriſdictionem.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quibus modis feudum conſtituitur , & acquiritur.

PRimus modus conſtituendi , & acquirendi feudi eſt donatio, idque ex ipſa natura feudi proficiſcitur, quod proinde *beneficium* appellatur , & nihil aliud ſignificat, ut ait Obertus de Orto, quam benevolam actionem , qua is afficitur, cui confertur. Cum autem donatio duplex eſſe poſſit , ut notat Othomanus *in diſputat. de donationibus*, ſimplex , & mera , vel conditionalis, ut colligitur ex *l. 2. D. de donationibus* , feudum non videtur eſſe ſimplex donatio ; nam , ut *alibi* diximus , in eo tacita ineſt conditio juramenti fidelitatis, & oneris militiæ . Et quamvis in *tit. 24. ejuſdem libri* ſpecies proponatur , qua mulieri ex Principis liberalitate feudum fuit conceſſum , nihilominus id evenit ob meritum Patris , qui Principi ſervitium præſtiterat .

II. Poteſt etiam feudum in dotem aſſignari, ſiquidem dotis datio ſimillima eſt donationi, *l. ult. Cod. donat. ante nuptias*. Per contractum emtionis conſtitui quoque poteſt recte feudum , licet hoc videatur contra ejus naturam . Verum monet hac in re Giphanius *de feudis cap. 8.* ; quemadmodum apud Romanos uſusfructus venditio ipſo jure non conſtiterat , ſed tantum Prætoris auctoritate ſervabatur ex *l. 11. §. uſusfructus D. de pignoribus*, ita & in feudis, quæ licet ſui natura , utpote beneficia , vendi non poſſint , tamen auctoritate Principum venditiones ſubſtinentur : quod & paſſim obſervatur, præſertim in Regno noſtro , ubi præter ſucceſſionem, de qua dicemus *infra*, nihil frequentius eſt , quam ut feuda vendantur.

III. Ex his ſequitur, vendito feudo tacite cenſeri ea omnia promiſſa, quæ pertinent ad contractum emtionis , ut eſt evictio , cujus nomine tenetur venditor , etiamſi non exprimatur *l. in vendendo 66. D. de contrahenda emtione*. Permutatione quoque recte feudum conſtituitur , quæ ſpecies apud Longobardos proprie appellatur *Cambium*, qua voce hodie nos utimur ſermone vernaculo .

IV. An feudum in teſtamento conſtitui poſſit videamus. Movet dubitationem , quod feudatarius de feudo teſtamenti factionem non habet; ſiquidem poſt ejus mortem feudum vel ad Dominum revertitur , vel in eos transfertur, de quibus in conceſſione cautum eſt : verum hic de ea ſpecie non loquimur , ſed tantum de conſtitutione feudi per teſtamentum , ſcilicet an Princeps poſſit in ſuo teſtamento alicui feudum concedere . Negat ſiquidem Giphanius , utiturque ea ratione , quia natura feudi hæc eſt , ut fides , & obſequium præſtetur Domino ; quod certe evenire nequit in caſu noſtro; nam cum teſtamentum vires habeat poſt mortem teſtatoris , quænam fides , quodnam obſequium præſtari poterit Domino jam mortuo . Verum hac in re vir doctus audiendus non eſt : quid enim prohibet heredem , fidem & obſequium acquirere a Vaſallo ? Ex Giphanii ratione efficeretur , inutilem eſſe ſtipula-

pulationem poſt mortem ſtipulatoris conceptam, quod ſecus eſt, ut patet *ex Inſtitutionibus tit. de inutilibus ſtipulat.*, & unuſquiſque poteſt paciſcendo heredi ſuo favere, *l.* 33. *D. de pactis*. Concludendum eſt igitur, poſſe Dominum feudum concedere in ſuo teſtamento, fides autem, & obſequium præſtabitur heredi.

CAPUT VIII.

De Inveſtitura.

HÆc ſane eſt proprius modus feudi acquirendi, nam ex ſuperioribus jus tantum acquiritur in feudo, non poſſeſſio, nec dominium. Scio equidem ex Doctoribus nonnullos inveſtituram duplicis generis facere, quarum unam appellant *Abuſivam*, in qua ſcilicet nulla adeſt poſſeſſio; alteram vero *propriam*; nihilominus, cum ſimpliciter dicitur inveſtitura, ſemper de propria eſt intelligendum. Notat autem idem Giphanius, inveſtituram a veſte nomen traxiſſe, ſiquidem Longobardi, aliique, a quibus feuda ortum habuerunt, variis inſignibus utebantur in illorum conceſſione, & præſertim veſte, qua novus Vaſallus decorabatur: *in tit.* 26. *lib.* 1. appellatur inveſtitio.

II. Inveſtitura eſt veluti quidam actus legitimus, qui certis modis præſtandus eſt; qua in re monet Zaſius *de feudis part. 6.* mores cujuſque regionis eſſe inſpiciendos. Olim apud Francos fiebat inveſtitura per gladium, vel haſtam his adhibitis, *Ego hoc gladio, vel hac haſta te inveſtio*. Adhibebatur aliquando annulus tamquam ſignum feudi noviter conceſſi: Eccleſiaſtica vero feuda per pallium concedi ſolebant, unde mos invaluit ex jure Canonico, ut Archiepiſcopi, & Metropolitani poſt conſecrationem pallium accipiant a Romano Pontifice, quaſi conceſſæ dignitatis inveſtituram, ex qua Sedi Apoſtolicæ fidelitatis juramento obligantur.

III. Receptum quoque eſt aliquibus in locis, ut inveſtitura tantum fiat in ipſo feudo, aliter non conſiſtat, ut refert idem Giphanius de Archiducibus Auſtriæ, qui ſui feudi inveſtituram non alibi, quam in Auſtria recipere poſſunt. Teſtes quoque in inveſtitura adhibendi ſunt, non tantum ad feudi conceſſionem probandam, ſed etiam ad ſubſtantiam ipſius inveſtituræ. Hinc in *tit.* 22. *lib.* 2. expreſſe dicitur, ſine hac ſolemnitate, ſeu ſine teſtibus factam inveſtituram non valere; teſtes autem duo, vel tres debent eſſe ex *tit.* 26. *lib.* 2.

IV. Dubitatur autem de qualitate teſtium, ſiquidem hac de re contractum ſcriptum videtur in libris feudorum; nam in *tit.* 32. *lib.* 2. dicitur ad inveſtituram probandam Pares Curiæ eſſe adhibendos, non minus in Clericis, quam in Laicis: at in *tit.* 26. *lib.* 1. dicitur ſimpliciter in inveſtitura Clericorum tam Pares Curiæ, quam extraneos adhiberi poſſe. Hæc vero ita ſunt accipienda, ut dum feudum de novo conſtituitur, Pares Curiæ ſemper teſtes

ſtes eſſe debeant, ne qua falſitas, aut ſubornatio excogitari poſſit, ut loquitur Veſſembecius *de feud. cap. 6.*; ſin vero antiquum feudum confirmandum eſt per inveſtituram, tunc & Pares Curiæ, & extranei teſtes adhibentur. In Clericis vero illud ſpeciale eſt, ut eorum inveſtitura etiam clandeſtina valeat, ut eſt *in d. tit. 26.*, ſeu quocumque modo, & quibuſcumque teſtibus adhibitis.

V. Pares Curiæ dicuntur, ut animadvertit Duarenus *de feud. cap. 7.*, Vaſalli ejuſdem Domini, a quo feudum conceditur, non quod pares ſint Domino, ſed quod pares ſint inter ſe reſpectu ejus Curiæ, ſeu ejuſdem domus Principis, qui & Convaſalli dicuntur, quia ab eodem Domino feuda tenent, & appellantur quoque Pares Curtis, ut legit Cujacius in *tit. 2. lib. 1.*, & reprehendit juris feudalis ignaros, qui Pares Curiæ Patricios interpretantur. Hinc quæſitum eſt, ut in *tit. 29. lib. 1.*, an qui feudum habebant, ſeu Pares Curiæ erant tempore conceſſionis inveſtituræ, & poſtea tales eſſe deſierunt vel ob delictum, vel aliam ob cauſam, poſſint adhiberi ad probandam inveſtituram; & placuit idoneos teſtes eſſe; nam cum requiratur, ut quis aptus cenſeatur ad aliquam ſolemnitatem ſufficit, ſi talis ſit ejus conditio, dum actus perficitur. Quod & generaliter DD. afferunt de omnibus aliis teſtibus, veluti in teſtamento, ſi quis, dum illud conditur, eſt liber, nihil officit ad validitatem teſtamenti, ſi poſtea fiat ſervus.

VI. Quoniam in inveſtitura juramentum præſtatur, & fidelitas, ideo pro cujuſque regionis more varia formula inducitur, prout monet Giphanius *de feud. cap. 10.*: quid autem ea forma contineatur, breviter ſic expoſuit Cujacius *tit. 7. lib. 2. feudor.* Vaſallus fidem ſuam Domino allegat, & fidei ſuæ commiſſa non proditurum ſe promittit, &, ſi domeſticus ſit, vel donationi feudi junctus ſit, juriſdictionem ſibi curæ fore, vitam, corpus, mentem, honorem Domini ſui promittit: qua in re citat Cujacius Regni noſtri *conſtitutionem 3. tit. 15.*. Item in legibus Francorum hac fuiſſe formulam a Carolo Magno propoſitam dicitur, *Promitto me Domino meo Carolo, & filiis ejus fidelem futurum tota vita, ſine fraude, doloque malo*.

VII. Pacto quidem caveri poteſt in ipſa inveſtitura, ne juramentum fidelitatis præſtetur, ſeu ne fidelitas repromittatur cum juramento, ut eſt in *d. tit. 3. lib. 2. in fin.*, ſed ne fidelitas ſimpliciter, præſtetur, fieri nequit. Quæ autem feuda ſine juramento fidelitatis conceduntur, vulgo appellantur *feuda franca*, ut notat Veſſembecius *de feud. cap. 8.*

VIII. An vero per Procuratorem hujuſmodi præſtari poſſit juramentum, quæſitum eſt? & ſiquidem, ſi Juris Romani regulas inſpicere velimus, ſtatim id prohibitum eſſe dicemus; ſatis enim conſtat, per Procuratorem jurari non poſſe: quod ſi Procurator juraverit, aget ſuo nomine, ut loquitur Ulpian. *in l. 29. §. interdum D. de Procur.*, propter ſuum jusjurandum; at moribus, & conſuetudine aliter receptum eſt in feudis, ſiquidem *in cit. tit. 3. lib. 2.* expreſſe dicitur; *utrum ipſe, vel alius pro te inveſtituram faciat, vel ſuſcipiat, nihil intereſſe putamus*. Olim vero, ut de Regno Franciæ teſtatur Othomanus *cap.*

13.

Digitized by Google

13. *de feud.* , ipſe Vaſallus jurare cogebatur; quod ipſum in regno noſtro retinere animadvertit Marinus Freccia *lib.* 2. *de Jubfeud.* , quoties ſcilicet Dominus ſeudi ipſius Vaſalli præſtantiam poſtulat.

IX. Sub conditione, vel ex die, vel ad diem inveſtituram fieri non poſſe, ratio juris ſuadere videtur; nam cenſetur quidam actus legitimus, qui nec diem, neque conditionem recipit, *l. actus legitimi D. de regul. jur.*. At in feudorum jure hæc aliter ſeſe habent, poteſt enim Dominus directus quocumque modo, quacumque ratione adjecta, feudum concedere: quapropter in *tit.* 3. *lib.* 1. ſpecies proponitur, qua feudum conceſſum fuit ſub conditione quidem, ſi Vaſallus deceſſerit, quod idem eſt, ac ſi feudum heredibus illius fuiſſet conceſſum. Hujus autem inveſtituræ ſpecies Abuſiva quodammodo eſt, ex qua nulla poſſeſſio inducitur: nam in conceſſione, quæ fuit conditionalis, non eſt tradita poſſeſſio, ſed expectari debet mors Vaſalli, ut diximus.

X. Videamus, quonam modo feudatarius, cui facta ſit conceſſio, tenetur a directo Domino inveſtituram petere; hac in re duplicem diſtinguere debeamus inveſtituram, novam, & veterem: Nova dicitur illa, quæ habetur de feudo noviter conceſſo; vetus, quæ de feudo antiquo, eaque potius eſt renovatio prioris inveſtituræ, *tit.* 3. *lib.* 2.. Si igitur quæramus de tempore ad petendam inveſtituram præfinito, aliud in nova, aliud in veteri obſervatur: in nova nullum tempus eſt ſtatutum, ut notat Alvarotus in *tit.* 2. *lib.* 2., ſed Dominus debet monere Vaſallum, ut accipiat inveſtituram, qui ſi ter monitus recuſaverit, tamquam ignarus amittit feudum, ut dicitur in *tit.* 24.: at in feudo antiquo ſtatutum eſt, ut Vaſallus intra annum, & diem poſt devolutionem feudi inveſtituram petere debeat, *tit.* 50. *lib.* 2.: verum hoc idem tempus aliter ſtatuitur in *tit.* 22. *lib.* 1., nempe annus, & menſis.

XI. Ad hanc varietatem tollendam vulgo DD. differentiam faciunt inter militem, & paganum; miles enim intra annum, & menſem debet inveſtituram petere, quia ex privilegio militari longius ſpatium ſit: Paganus, ſcilicet qui non eſt miles, habet in annum, & diem. Hoc ipſum probatur a Veſſembecio *de feud. cap.* 8.: verum diſſentiunt Doctiſſimi Interpretes Petrus Faber in *l. cum alio D. de reg. juris*, Cujacius, & Othomanus; cenſent enim in jure feudali non recte fieri diſtinctionem inter Vaſallum, Militem, & Paganum, cum omnis Vaſallus ſit miles, feudum ob onus militiæ concedatur. Hinc non ſemel in libris feudorum, & in Conſtitutionibus hujus Regni miles ſimpliciter ſignificat feudatarium: quapropter citati Auctores errorem cenſent eſſe in *d. tit.*22., & legendum intra annum, & diem, non autem menſem.

XII. Cur autem anno dies adjectus ſit, non ſatis conſtat: ſuſpicatur quidem Giphanius id fuiſſe olim introductum ad vulgarem inter Doctores controverſiam tollendam, an ſcilicet diei termini computentur in termino, e. g. citatus quis tali die, an ſi compareat tali die immediate ſequenti computetur contumax: igitur cum annus ſtatutus eſſet ad inveſtituram petendam, dubitabatur, an recte peti poſſet ſequenti prima die poſt annum; & ad controverſiam tollendam placuit peti poſſe, unde ſtatus eſt annus, & dies.

XIII. Hoc autem tempus recte Za-

Digitized by Google

Zaſius, & Veſſembecius in *d. cap.* 8. cenſent utile eſſe, non continuum: utile tempus dicitur illud, in quo dies ignorantiæ, vel cujuslibet legitimi impedimenti non computantur: continuum vero, ubi omnes numerantur dies ordine naturali. Excuſatur igitur Vaſallus, qui feudalem rem eſſe ignorans, intra tale tempus inveſtituram non petierit; quod colligitur ex *tit. 26. lib. 2.*: excuſatur etiam propter infantiam *tit. 22. lib. 1.* cum autem infantiam exceſſerit, non excuſatur, ſed habet reſtitutionem in integrum, ut monet idem Veſſembecius aitque, moribus receptum eſſe, ut Tutores, vel Curatores intra conſtitutum tempus petant inveſtituram.

XIV. Excuſatur etiam feudatarius, ſi modo ſit impeditus, aut ſine periculo ſi Dominum adire non poſſit, veluti contagioſo morbo ingruente, aut bello, vide Alvarotum in *d. tit. 22. lib. 1.*; Quid vero dicemus, ſi de hereditate defuncti Domini controverſia inter heredes oriatur? Et putat Giphanius, quamvis Vaſallus hoc caſu juſtam excuſationem habeat, poſſe eum nihilominus ab altero ex heredibus inveſtituram petere, modo ea conditione petitio fiat, ut nullum inde reliquis heredibus præjudicium afferatur. Quod ſi fortaſſis heres, a quo inveſtituram acceperit, victus fuerit, iterum a legitimo herede inveſtitura erit petenda.

XV. Sin autem unus ſit heres Domini directi, plures autem Vaſalli ſucceſſores, videamus, quid ſit dicendum. Et receptum eſt omnes inveſtituram petere debere, & præcipue ſi feudum pro indiviſio poſſideant; *tit. 28. §. omnes filii.* At ſi ex pacto, vel ex ſtatuto ad unum ex heredibus pertinet feudum, pro ut obſervatur in Regno noſtro, tunc ille tantum inveſtituram petit, licet ceteris competat actio ſuper feudo ad certam aſſignationem fructuum, quæ vulgo dicitur *vita & militia*, quam pluribus *infra* explicabimus.

XVI. Poteſt autem & unus tamquam omnium procurator inveſtiri, ſiquidem & per procuratorem inveſtituram accipi poſſe *ſupra* adnotavimus. Quod ſi inter hos heredes de ſucceſſione feudi oriatur controverſia, nullo modo inveſtitura concedenda eſt, niſi antea judicatum fuerit, quinam ſit heres, & eo caſu, juſta erit cauſſa excuſationis, ſi poſt tempus præfinitum, petatur inveſtitura.

XVII. An autem ad ſolemnitatem inveſtituræ ſcriptura, ſeu inſtrumentum requiratur, quæſitum eſt; ſunt nonnulli, quibus placet hac in re Emphyteuſi eſſe comparandum feudum, ſiquidem cum in conſtituenda Emphyteuſi ex conſtitutione Zenonis Imperatoris in *l. 1. Cod. de jure Emphyteutico* receptum ſit, ut inſtrumentum omnino conficiatur, ſecus nullius erit momenti, (huic ſententiæ communiter a Doctoribus receptæ, & in foro probatæ Cujacius ſeſe opponit in *commentario ad dictum titulum de jure Emphyteutico*) eodem modo & in inveſtitura opus erit Inſtrumento: verum cum id ſtatutum non reperiatur, potius dicendum eſt, ſcripturam tantum requiri ad probandam inveſtituram; non ad validitatem ejus ex generali definitione *l. 4. D. de pignoribus*: *fiunt ſcripturæ, ut, quod actum eſt, facilius probari poſſit, & ſine iis valet, quod actum eſt, ſicuti & nuptiæ ſunt, licet teſtatione in ſcriptis habitæ non ſint.*

XVIII. Quoties tempus fuerit elapſum ad petendam inveſtituram, tunc pœna ſtatuitur contra feudatarium, ſiqui-

ſiquidem jure communi privatur feudo, ut habetur ex *tit.* 40. *lib.* 2., jure autem Regni, ut refert Marinus Freccia *de ſubfeudis lib.* 2., id obſervatur, ut ſolvatur duplex relevium, dummodo per Curiam admonitus Vaſallus inveſtituram accipiat poſt tempus, nam ſi id fecit propria voluntate, non tenetur ſolvere, niſi ſimplex relevium.

XIX. Effectus inveſtituræ quinam ſit, videamus: vulgo apud Doctores hæc ſententia recepta eſt, duplicem eſſe inveſtituram, ut *ſupra* adnotavimus, propriam, & abuſivam ex *tit.* 2. *lib.* 2.: propria dicitur poſſeſſio ipſius feudi, quando ſcilicet per eam Vaſallus poſſeſſionem feudi nanciſcitur: abuſiva vero, quando Dominus ſolemnitate adhibita dicit ſe feudum alicui concedere. Et quamvis hæc ita diſtinguantur, nihilominus cum inveſtitura nominatur, ſemper intelligitur, per quam feudi habetur poſſeſſio, non enim ſolet inveſtitura concedi, niſi & poſſeſſio tradatur. Hinc recte putant Andreas de Iſernia, & Matthæus de Afflictis in *d. tit.* 2.; quoties re præſente, ideſt oculis ſubjecta, conceditur inveſtitura feudi, ejus poſſeſſionem traditam intelligi. exemplo venditionis: nam ſi vicinum mihi feudum mercatum, inquit Baldus in *l.* 18. §. *ſi venditorem D. de acquir. poſſeſſ.*, venditor ex mea turri demonſtret, vacuamque poſſeſſionem ſe tradere dicat, non minus poſſidere cœpi, quam ſi pedem finibus intuliſſem.

XX. Quoties igitur ſine poſſeſſione facta eſt inveſtitura, tunc notat Giphanius *cap.* 10. *de feudis*, illa tantum erit argumentum conceſſionis feudi, unde ex eo tempore omnes acceſſiones ad eundem feudatarium pertinebunt, qui poterit deinde per ſe poſſeſſionem nanciſci ex ſententia in *d. tit.* 2.; licet hac in re idem Giphanius diſſentiat; putat enim requiri ad poſſeſſionem acquirendam interventum ipſius concedentis, vel alterius ejus nomine.

XXI. Non levis momenti hic oritur quæſtio, an heres defuncti feudatarii neceſſe habeat corporalem feudi poſſeſſionem acquirere, an ipſo jure poſſeſſio defuncti ad eum tranſeat. Accurſius quidem, & ceteri ejuſdem ſcholæ, cenſent novam poſſeſſionem heredi acquiri non debere, ſed potius poſſeſſionem defuncti apud eum continuari. Verum hanc ſententiam in judicio Imperiali repudiatam fuiſſe docet idem Giphanius; adeo ut ſemper requiratur poſſeſſio in herede, fortaſſis ea ratione, quia poſſeſſio eſt quid facti, unde non cenſetur tranſlata in heredem, niſi ab eo iterum capiatur.

XXII. Si plura fuerint prædia, ſiquidem ita conjuncta ſint, ut unum veluti efficiant corpus, non opus eſt ſingulorum poſſeſſionem acquirere, ſed ſufficit, ſi in aliqua eorum parte id fiat; ſin vero disjuncta ſint, quamvis vulgo credatur idem juris eſſe, negat tamen Giphanius, nam ſingulorum poſſeſſio acquiri debet.

XXIII. Poſt inveſtituram conceſſam, videamus quid Dominus præſtare debeat Vaſallo, & quid hic illi viciſſim; & ſiquidem inveſtitura ſimpliciter data fuerit, omnino Dominus tenetur ad poſſeſſionem tradendam feudi conſtituti *ex tit.* 26. §. *ſi facta lib.* 2., unde quæſitum eſt, an ſi Dominus nolit poſſeſſionem tradere, liberetur præſtando id, quod intereſt. Negant quidem vulgo Doctores *ex tit.* 26., verum affirmat idem Giphanius: etenim ex generali regula in omnibus faciendi obligationibus liberatur debitor præſtando id, quod intereſt.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. Illud tamen expeditum non eſt, an, ſi Dominus de eodem feudo conceſſit inveſtituram, primus, an alter ſit præferendus: & quoties neutri tradita ſit poſſeſſio, prior procul dubio præferendus eſt, ſed ſi poſſeſſio tradita fuerit, præferri debet ille, qui eam accepit, licet poſterior ſit inveſtitura. Sumamus exemplum ex *l.* 13. *Cod. de rei vindicatione*, ſi duobus prædium venditum ſit, ille potior habetur, cui priori poſſeſſio fuit conceſſa: & ratio eſt, quia hic dominium jam acquiſivit, cum aliter acquiſiverit tantum obligationem. Unde intelligimus, cur ſecus ſe res habeat in pignore ex *l.* 12. §. *ult. D. qui potiores in pignore*, ubi ſtatuitur ſemper priorem, cum quo convenit de pignore, præferri, licet poſterior nactus ſit poſſeſſionem: ſiquidem in conſtitutione pignoris nunquam de dominio agitur, ſed tantum de nuda obligatione.

XXV. Notat autem idem Giphanius, adeo verum eſſe alterum, cum poſſeſſio feudi tradita ſit, priori præferendum eſſe, ut etiamſi Dominus in concedenda poſſeſſione dicat ſe id facere ſine præjudicio alterius, tamen ſemper, qui poſſeſſionem acquiſivit, præfertur. Prior autem actionem habebit adverſus concedentem, ut non ſolum reſtituat, ſi quid accepit pro feudo, ſed etiam ut præſtet omnes impenſas, omne incommodum, quod ſenſit ex poſſeſſione non ſequuta.

XXVI. Hæc quidem eſt obligatio Domini directi erga Vaſallum poſt conceſſam inveſtituram; quid autem Vaſallus viciſſim Domino præſtare teneatur, latius dicemus *infra*. Nunc tantum reliquos proponemus modos feudi acquirendi, & præſertim per ſucceſſionem, tum ex communi, tum ex Regni jure, ubi examinabimus quæſtiones hac de re uſu frequentes, & quotidianas.

CAPUT IX.

De acquiſitione feudi per ſucceſſionem.

ROMANORUM jure ſatis conſtat, per ſucceſſionem, ſive per hereditatem acquirere nos omne jus alterius, nempe defuncti, idque cum jure nobis hereditas delata fuerit, quod accidit, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato. His duobus ſummis modis hereditas nobis acquiritur, §. *ult. Inſtit. tit. per quas perſonas cuique acquiritur*. Cum vero agimus de acquiſitione feudi per ſucceſſionem, non uterque hic modus inſpiciendus eſt, ſed tantum ab inteſtato ſiquidem circa feudum non data eſt patri familias libera poteſtas diſponendi, ut de ceteris rebus ex jure duodecim tabularum; & ratio eſt in promtu: quia cum feudum e patrimonio Principis proficiſcatur, apud quem remanet nihilominus directum dominium, non poteſt illud pertinere, niſi ad eas perſonas, quas Princeps in inveſtitura expreſſit: unde ſi feudum pro ſe tantum fuit conceſſum, nulla tunc erit ſucceſſio neque ex teſtamento, neque ab inteſtato.

II. Et quamvis aliquando heredi ex teſtamento deferatur feudum, cum ſci-

ſcilicet quis ſibi, heredibuſque ſuis feudum acquiſivit, nihilominus id magis procedet, ex defuncti cautione, quam ex teſtamento; ſiquidem in hac ſpecie ſi paterfamilias teſtamentum nullum ſcripſerit, vel ſcripſerit abſque ſolemnitatibus legitimis, tunc feudum pertinebit ad heredem ab inteſtato. Condito autem teſtamento non poteſt teſtator feudum aſſignare alicui ex legatariis, nam debet omnino penes heredem remanere: unde ſequitur, heredem non ex teſtamento, ſed ex tenore conceſſionis feudum acquirere.

III. Non audiendus vero eſt Baldus, qui *in auth. niſi rogaſti Cod. ad Senatuſconſultum Trebellejanum* opinatur, poſſe patremfamilias per teſtamentum feudum concedere, quod dicitur francum, ſeu liberum ab onere ſervitii Domino præſtandi, ſiquidem hujuſmodi feudum præter ſuperiorem exemtionem nihilominus a ceteris differt; ſemper enim inſpicienda eſt conceſſio, & inveſtitura. Ex eo autem error Baldi originem duxit, quod feudum tali modo conceſſum videatur improprium, quod nihilo minus facit ad rem, nam improprium feudum retinet ſuam naturam circa ſucceſſionem; aliter etiam feuda feminina, quæ impropria ſunt, poſſent relinqui per teſtamentum, cui voluerit teſtator, quod ſane falſum eſt.

IV. Quæſitum tamen eſt, an ille, qui ad feudi ſucceſſionem vocatur ſecundum inveſtituram, teneatur ſaltem æſtimationem feudi præſtare ei, cui fuit illud relictum in teſtamento. Communior ſententia eſt, omnino eum non teneri, illa ratione, quia feudum relictum in teſtamento inutiliter fuit, & non debet quis onerari ad præſtandam æſtimationem ejus, quod inutiliter geſtum eſt. Alii tamen ex Doctoribus diſtinguunt, quando feudum eſt hereditarium, & quando eſt ſimplex, quod Pragmatici dicunt ex pacto, & providentia, nam in primo caſu cum ſucceſſor in feudo teneatur ad onera hereditaria, tenetur etiam ad omnia, quæ appoſita ſunt in teſtamento: in altero vero cum ſuccedit quis jure ſuo, tamquam vocatus ſimpliciter in inveſtitura, non tamquam heres, utique non tenebitur ad ea, quæ ſcripta reperiuntur in teſtamento, unde poterit hereditatem repudiare, & tantum acceptare feudum: verum hac de re fuſius dicemus *infra*.

V. Antiquitus non ſolum ex teſtamento nulla erat in feudis ſucceſſio, ſed nec & ab inteſtato: Feuda enim vel ad certum tempus concedebantur, vel ad vitam tantum ipſius feudatarii; ſed paulatim obtinuit, ut etiam ad unum ex filiis feudatarii porrigeretur feudum: *ex conſtit.* vero *Corradi Imperatorii* ſtatutum fuit, ut ad omnes deſcendentes feudum pertineret, cujus conſtitutionis mentio fit *lib. 2. feudor. tit. 1. §. & quia vidimus*, & integra ejus verba leguntur *lib. 3. legum Longobardar.*. Generaliter autem ſemper conceſſionis verba ſunt inſpicienda; unde ſi feudum ſit perſonale, ſcilicet conceſſum intuitu perſonæ, ſive induſtriæ illius, & diligentiæ, ut olim erat feudum Guardiæ, & Caſtaldiæ, ad heredes nunquam tranſit; quoties vero eſt reale, ſcilicet conceſſum in re, nullo certæ perſonæ intuitu, ſemper tranſit ad heredes. Recte autem animadvertit Giphanius & Duarenus *de feud. cap. 9.*, quoties vel probatio ſit dubia, vel ex verbis conceſſionis nihil certi haberi poſſit, utrum feudum reale ſit, an ſecus? tunc cenſendum eſſe reale, cum quilibet præſumitur cavere voluiſſe, & acquirere ſibi, heredibuſ-

Digitized by Google

que ſuis, ut colligi poteſt ex *l. 9. de probat.*

VI. Primo igitur ordine filii vocantur ad ſucceſſionem feudi, nec refert emancipati ſint, an in poteſtate conſtituti; nam in feudali ſucceſſione vinculum poteſtatis paternæ nihil omnino operatur, ut monet Alvarotus *lib. 2. de feud. tit.* 40. Si plures ſint filii defuncti feudatarii, omnes pariter admittuntur ad feudum, ſiquidem Leges Longobardorum hac in nullum diſcrimen faciebant inter bona feudalia, & Burgenſatica, quod apud nos non obſervatur, ut dicemus *infra*; nam pro familiarum conſervatione, præſertim Nobilium, & Magnatum, Francorum Populi induxerunt, ut in ſucceſſione feuda non dividerentur, ſed pertinerent tantum ad Primogenitos, qui tamen tenerentur reliquis fratribus certam præſtationem annuam exſolvere, quod fuſius tractabimus *ſuo loco*.

VII. Fingamus modo defuncto feudatario, relicto filio, & ex alio filio nepotibus, an hi quoque admittantur ad feudum: & affirmandum eſt, ſiquidem, ut jure Romano in hac ſpecie locum habet repræſentatio, nepotes enim repræſentant perſonam Patris, ita & jure feudali receptum eſt, ubi dicitur, in feudo & omnes filii pariter ſuccedunt ex legibus Longobardorum: notat autem Andreas de Iſernia *lib. 1. tit.* 8., in ſuperiori ſpecie ſucceſſionem fieri in ſtirpes, non in capita, quod ſemper obtinet, ubi repræſentationi fit locus; nam qui alium repræſentat, numquam ſuccedit ex perſona ſua. Hoc ipſum dicemus, ubi defuncto Feudatario nulli extant filii, ſed nepotes ex uno filio prædefuncto, & nepotes ex altero filio; nam quoque ſuccedunt in ſtirpes, ut notat idem Andreas de Iſernia; ſiquidem in linea deſcendentium *ex novel.* 118. ſemper inter nepotes fit ſucceſſio in ſtirpes, nam Azonis ſententia, quod in capita ſuccedere debent, obtinet in linea collaterali, quando ſcilicet agatur de ſucceſſione inter filios fratrum.

VIII. Quæſtio hic agitari ſolet, & quidem non levis momenti, an ſi lege, vel conſuetudine obtineat, ut ad feudum primogenitus tantum vocetur (quo jure utimur in regno ex Legibus Francorum, ut dicemus *infra*) ſi Primogenitus jam ſit defunctus vivente Patre, ejus filius, idemque nepos feudatarii, præferatur alteri filio ſecundogenito ejuſque patruo. Variæ ſunt in hac controverſia DD. inter ſe opiniones, ut videre eſt apud Tiraquellum in *lib. de primog.*: quidam enim filium ſecundogenitum præferri volunt nepoti ex filio primogenito, & rationem eam reddunt, quia ſecundogenitus proximior eſt gradu ultimo morienti feudatario; & quamvis nepos, ut diximus, repræſentet perſonam patris, nihilominus hæc repræſentatio fictio quædam eſt, quæ non debet duplicem effectum habere, ſcilicet ut quis & gradum, & primogenituram repræſentet: his adde affectionem ipſius defuncti, qui præſumitur magis filium diligere, quem ipſe generavit, quam nepotem; nec obſtat ratio, quod a lege vocatur primogenitus; nam id inſpicitur tempore mortis feudatarii, quod inſpecto filius ſecundo loco natus primogenitus dici poteſt, cum nemo præcedat reſpectu Patris.

IX. Poſtremo qui hanc probant ſententiam DD., utuntur exemplis rerum judicatarum, præſertim in ſucceſſione hujus Regni: nam cum de-

Digitized by Google

defunctus eſſet Carolus II. Andegavenſis relicto Roberto filio ſecundogenito, & Pannoniæ Rege nepote ex filio primogenito defuncto, cum lis agitata eſſet coram Pontifice, pronunciatum fuit favore Roberti, qui diu apud nos regnavit, & ejus multa extant monumenta.

X. Verum in præſenti quæſtione, ubi jam filius primogenitus ſucceſſit in feudum, ſi hic moriatur relicto filio, & fratre ejuſdem patruo, omnes concludunt, filium excludere patruum, quia non agitur de ſuccedendo Avo, ſed Patri ultimo morienti cujus legitimus ſucceſſor filius eſt, non frater, ut poſt Tiraquellum concludit Covarruvias *practicar. quæſt. cap.* 38.. Extra controverſiam quoque eſt, ubi nepos ex filio primogenito major natu eſt patruo, ſiquidem in hac ſpecie nepos etiam repræſentat perſonam patris, in cujus locum ſuccedit, & ex perſona ſua recte dicitur primogenitus, ad quem ex ſtatuto defertur ſucceſſio, vide eundem Tiraquellum *quæſt.* 40. poſt Baldum, Alexandrum, & Decium.

XI. At præter has ſpecies etiam, ubi avo ſuccedendum eſt, mortuo jam filio primogenito, nepos excludit patruum ex generali conſuetudine apud omnes recepta, & ſpecialiter in regno noſtro, ubi ſæpius ſic fuit judicatum, ut videre eſt apud Capycium *in addit. ad conſuetud. ſi moriat.* & Afflictum in *cap.* 1. *de nat. ſucceſſ. feud.*, ubi refert magna ſapientum diſcuſſione judicatum in comitatu Sancti Severini pronepotem ex filio primogenito ſecundogenito defuncti prælatum fuiſſe. Nec deſunt etiam in regnorum ſucceſſionibus hujus rei exempla; nam refert Baldus in *l. liberti Cod. de operis libertor.* in regno Angliæ nepotem ſucceſſiſſe avo, excluſo patruo.

XII. Refert quoque non ignobilis Juriſconſultus Jacobus de Sanſa in *tract. de primogenitura*, in regno Luſitaniæ Joannem I. teſtamento caviſſe, regnum ad nepotem pertinere, non ad filium ſecundogenitum, & adjeciſſe, ut idem in poſterum obſervaretur, quoties eadem ſpecies occurreret in dicto Regno. Id ipſum quoque in Gallia ſæpiſſime fuit judicatum per Curias Parlamentorum. Nec movemur ſuperiori exemplo Regis Roberti, nam ea ætate utilitas hujus regni conſiderata fuit, in quo cum bellum ingens agitaretur pro recuperanda Sicilia, æquius viſum fuit Regnum aſſignari ſapienti, & ætatis firmis Principi, ut erat Robertus, qui & a Patre jam deſignatus erat ſucceſſor, & Dux Calabriæ appellatus, quam Regi Hungariæ, teneræ ætatis, & in longinquis regionibus degenti.

XIII. Quamvis ex jure Longobardorum, ut diximus, omnes deſcendentes admittantur ad feudum, feminæ tamen ſemper excluduntur, *tit.* 8. *lib.* 1. *feud.*; & quamvis per conventionem fieri poſſit, ut etiam feminæ admittantur, nihilominus eo caſu improprium erit feudum, ut diximus in *cap.* 3.: hinc cenſet Andreas de Iſernia in *d. tit.* 8., generalibus verbis inveſtituræ *pro ſe & heredibus* non contineri feminas, cum ſit contra naturam feudi, nec etiamſi dicatur *pro ſe, & ſuo genere*, quia ſemper verba contractus referuntur ad ea, quæ ſunt de natura ejuſdem. Ratio hujus juris hæc affertur a Tiraquello in *lib. de ll. connub.*, quia feuda conceduntur ob onus militare, cui feminæ aptæ non ſunt. Hæc autem ratio non ſemper obtinet, quia

Digitized by Google

ex ea ſequeretur, feminas admitti ad ſucceſſionem feudi, quoties illud liberum eſt ab onere militari, quod ſecus ſe habet; nam niſi in inveſtitura ſpecialiter de feminis cautum ſit, nunquam illæ admittuntur. Quapropter concludendum eſt, ex generali quadam conſuetudine feminas olim a feudo fuiſſe excluſas, quæ tamen in Regno non obſervatur, nam, ut dicemus in *cap. ſequenti*, maſculis non exiſtentibus illæ admittuntur, modo deſcendant ex corpore primi acquirentis ſecundum inveſtituræ tenorem.

XIV. Notabile tamen eſt hac in re, quod ait Jacobus de Belviſio in *tit. 17. lib. 2. feud.*, feminas ſemel admiſſas ad feudum ob deficientiam maſculorum non excludi, ſi poſtea naſcantur maſculi, ſiquidem videtur iis quodammodo jus acquiſitum, quod ſine facto ipſarum non poteſt auferri. Diſſentit quidem Andreas de Iſernia, & contrarium omnino ſtatuere conatur.

XV. Cum feudum pertinet ad feminas, tunc etiam oritur dubitatio, utrum nepos ex filia primogenita excludat ſecundogenitam; Baldus quidem *conſil. 25.* multis rationibus conatur probare, ſecundogenitam excludere nepotem, idque ea potiſſimum ratione, quia illa dum moritur feudatarius, reperitur, & dicitur primogenita, & maſculus repræſentat perſonam matris quoad gradum, non quoad primogenituram: addit & aliam rationem, quæ videtur non levis momenti, quia ſecundogenita eſt agnata, & habet cognomen Patris feudatarii, cum e diverſo maſculus illius non ſequatur familiam, ſed Patris ſui; feudatarius enim ei erat Avus maternus, non paternus. Verum his, & ſimilibus rationibus non obſtantibus ſæpius pro nepote judicatum eſt, quo jure & nos utimur in Regno. Imo etiamſi ex filia primogenita adſit neptis, hæc quoque excludit materteram, quia in omnibus cenſetur adipiſci locum, & prærogativam matris.

XVI. Hactenus de filiis legitimis, & naturalibus, videamus modo de adoptivis. Hi ſane excluduntur a ſucceſſione feudi *lib. 2. tit. 26. §. adoptivus*; cum enim ex conſtitutione Juſtiniani per adoptionem jura patris naturalis non diſſolvantur, certum eſt ad feudum illius adoptivum ſuccedere.

XVII. Sunt tamen, qui exiſtimant etiam ſuccedere filium adoptivum ex conſtitutione ejuſdem Imperatoris in *l. 10. Cod. de adoption.*, qua cavetur, ut adoptione facta a perſona non extranea tranſeat filius adoptivus in poteſtatem adoptantis, ut videatur ſentire Andreas de Iſernia in *d. §. adoptivus*, idque ea ratione, quia adoptivus non ſuccedit patri adoptanti, eo quod in ſucceſſione feudi ſanguis potiſſimum primi acquirentis conſideratur, ut tradit Tiraquellus in *tract. de primogenitura*, quod in præſenti ſpecie non obtinet, quia concurrunt & civilia, & naturalia, nempe ſanguinis jura.

XVIII. Qui hanc opinionem tuentur, adhibent exempla ex Regnorum ſucceſſionibus. Refert quidem Salluſtius *in bello jugurtino*, Jugurtam ex adoptione ad regnum vocatum fuiſſe ſimul cum fratribus legitimis, & naturalibus; & ut prætereamus exempla Imperii Romani, in quo per adoptionem & Tiberius, & Nero, & Antonius ſucceſſere, apud nos idem accidit; ſiquidem Alfonſus Aragonenſis in adoptione Reginæ Joannæ ſecundæ hujus regni dominium adeptus fuit, & ad poſteros tranſmiſit.

XIX.

Digitized by Google

XIX. Verum contraria ſententia verior eſt, & multis rationibus nititur, quarum præcipua eſt, quia in conceſſione feudi ut plurimum exprimitur deſcedentes ex corpore acquirentis; & quamvis generaliter illud concedatur, ſemper tamen præſumitur Dominus directus de iis tantum ſentire, & voluiſſe verbis generalibus ſeſe accommodare ad id, quod plerumque fit; unde ſi voluit adoptivos filios comprehendere, debuit ſpecialiter eos nominare. Secundo ſi admittimus ad ſucceſſionem filium adoptivum, erit in poteſtate feudatarii concedere feudum, cui voluerit, etiam contra voluntatem Domini, & eidem præjudicium afferretur, cum devolutum feudum ob lineam finitam concederetur extraneo, & eo modo nunquam veniret ad Dominum; nam non habens legitimos ſucceſſores ſemper poterit per adoptionem acquirere, ut notat Tiraquellus in *l. ſi unquam Cod. de revoc. donat.*, quod & in fideicommiſſo probat Bartolus in *l. ſi cognatus D. de reb. dubiis*.

XX. Nec probanda eſt diſtinctio ſuperior ex Andrea de Iſernia, quando adoptio fit ex perſona non extranea; nam licet tranſeat adoptatus in poteſtatem illius ex Juſtiniani conſtitutione, tamen ſemper certum eſt, eum non eſſe vocatum in inveſtitura; nam ſi eſt vocatus, ut in adoptato ab Avo paterno, tunc ſuccedit jure ſuo, non ratione adoptionis: adoptatus autem ab Avo materno ſuccedit, quando ex ſpeciali lege admittuntur feminæ non ratione adoptionis, ſed in defectum ſucceſſorum ex maſculis, quod idem dicendum de filio adrogato, cum hac in re adoptio ab adrogatione non diſtinguatur, quod male diſtinguit idem Andreas de Iſernia: & generaliter concludendum eſt, adoptivum non comprehendi nomine filiorum, quoties agitur de alterius præjudicio, ut in Emphyteuſi conceſſa pro ſe, & filiis, ex Baldo in *l. fideicommiſſum D. de condit. & demonſt.*, & in ſpecie *dicta leg. ſi unquam*, ex qua revocatur donatio ob filios poſtea ſuſceptos, ſed non revocatur, ſi fuerint quæſiti per adoptionem. Nec ad rem faciunt exempla in regnorum ſucceſſionibus; nam ibi adoptivi admittuntur ob publicam utilitatem, ne decedente Rege ſine ſucceſſore civibus, & exteris belli detur occaſio.

XXI. Illud autem quibuſdam Doctoribus probatur in *d. l. ſi unquam* admitti ad ſucceſſionem feudi adoptivum filium, ſi fuit adoptatus ante acquiſitionem illius, & Dominus directus id ſciebat, nam concedens feudum pro ſe, & filiis de eo quoque ſenſiſſe creditur, quod non præſumitur, ubi facta nondum erat adoptio. Hæc autem ex circumſtantiis æſtimanda ſunt.

XXII. Videamus de filio naturali. Et ſane expeditum eſt *ex cap. 1. §. naturale ſub tit. ſi de feudo defuncti contentio ſit inter Dominum, & agnatum Vaſalli*, eum ad feudum non admitti, ubi Andreas de Iſernia hanc rationem non habet, *l. 4. D. unde cognati* feudum autem defertur Jure agnationis. Id ipſum magis afferendum eſt ex formulis uſitatis in Inveſtitura, in qua exprimitur conceſſionem fieri pro ſe, & heredibus ex legitimo corpore deſcendentibus. Quapropter hinc omnis removetur dubitatio ob exemplum fideicommiſſi, in quo filius naturalis facit deficere conditionem, ſi ſine liberis deceſſerit, *l. ex facto 17. §. ſi quis regeneratus D. ad SCtum Trebellejanum*: ſiquidem in fideicommiſſo ſanguinis conjunctio tantum

tum

Digitized by Google

tum ſpectatur; at in feudo legitima ſucceſſio ſpectari debet, ut *in eadem l.* ait Juriſconſultus. Ut ergo ex voluntate fideicommittentis non admittitur filius naturalis, idem quoque aſſerendum eſt in feudo; præſumitur enim Principem noluiſſe illud concedere perſonæ aliqua labe adſperſæ pro ut eſt filius naturalis.

XXIII. Fingamus feudatarium ex naturali filio præmortuo habere nepotem ex eo legitimum, & naturalem, & hunc dicendum eſt neque ad feudum admitti, quia cum pater incapax eſt ſucceſſionis; tales quoque erunt deſcendentes ex eo, argumento ex *l. ult. Cod. de naturalibus liberis*. Quod ſi primus, a quo feudum erat acquiſitum, naturalis fuit, an ejus naturalis filius ſuccedet? & licet non deſint, qui hac de re dubitaverint, ſiquidem in præſenti ſpecie videtur Dominus directus eam qualitatem pro nihilo habuiſſe tamen verius eſt naturalem non ſuccedere; nam ſi Princeps voluit in prima conceſſione diſpenſare impedimento ex natalibus, non præſumitur iterum voluiſſe in ſecunda, niſi expreſſerit.

XXIV. Sed quoniam naturales filii legitimi poſſunt effici vel per reſcriptum Principis, vel ſubſequens matrimonium; hinc nova oritur dubitatio, an eo caſu admittantur ad feudum. Et quoties per principale reſcriptum fit legitimatio, aſſerunt communiter DD. ex *d. §. naturales* eos non ſuccedere, niſi in reſcripto a Principe ſit expreſſum; at quid ſi adſint filii legitimi, & naturales? tunc jure Longobardorum omnes admittuntur, modo ſciverit Princeps filios adeſſe; nam ſecus præſumitur noluiſſe præjudicium afferre, ut notant Jaſon, & Socinus in *l. Gallorum §. & ſiquidem C. de liberis, & poſthumis*. Sed non levis dubitatio oritur, ubi vivitur jure Francorum, ut in Regno noſtro, ex quo primogenitus tantum ſuccedit, an primogenitus legitimatus excludat legitimum & naturalem; communiter DD. excludere dicunt, ea ratione, quia feuda apud nos ſunt hereditaria, poſt Afflictum *deciſ.* 140. & propterea ſucceſſor legitimus ſicuti non poteſt reſcindere alienationem feudi factam cum aſſenſu Principis, ita nec impugnare poterit reſcriptum ipſiuſmet Principis, ex quo admittitur legitimatus ad feudum etiam in ſui præjudicium.

XXV. Elegans ſane, & difficilis alia naſcitur quæſtio, an legimatus per reſcriptum Principis ad feuda adhuc admittatur, quoties poſt legitimationem naſcantur filii legitimi, & naturales. Dubium ex eo, quod, ut *ſupra* diximus, poteſt Princeps præjudicium afferre filiis legitimatis per reſcriptum, quoties ſcivit eos extare, ſecus ſi ignoravit; at in caſu præſenti ignoravit; dum feudatarius tunc temporis nullos filios habebat.

XXVI. Innumeri ſane DD. poſt Oltradum, & Caſtrenſem, ut videre eſt apud citatum Tiraquellum in *d. l. ſi unquam*, multis rationibus contendunt, legitimationem ad feudum extingui per ſuſceptionem filiorum legitimorum; & præcipue moventur ex *d. l. ſi unquam*; nam ſicuti donatio revocatur, quia cenſetur facta, cum quis non habebat filios, nec de iis cogitavit, ita & legitimatio: præſumitur enim feudatarium magis filios legitimos & naturales, quam naturales legitimatos diligere, & propterea credendum eum non cogitaſſe de veris filiis, cum facta fuit legitimatio. Id ipſum dicemus de Principe, qui reſcriptum conceſſit, nam tunc certe non cogitavit de filiis legiti-

Digitized by Google

gitimis , & naturalibus .

XXVII. Sed contrarium conatur defendere Jaſon in *l. ex pacto D. de vulg. & pupill.* , *ſubſtitut.* aliique DD.quos citat idem Tiraquellus: rejecta enim ſuperiori ratione utuntur vulgari regula ex *l. in ambiguis* §. *non eſt novum D. de reg. jur.* , ea quidem regula ſic ſtatuitur , recte continuata ab initio valere , licet poſtea contigerit caſus , a quo incipere non poterant: igitur in ſpecie noſtra quamvis præſumatur nec patrem legitimationi conſenſiſſe, nec Principem reſcriptum dediſſe , ſi filii legitimi , & naturales extitiſſent, tamen cum initio valida facta fuerit legitimatio , non debet ex eventu infirmari .

XXVIII. Non defuerunt alii , veluti quidam DD. apud eundem Tiraquellum , qui ad diſſidium componendum diſtinctione utuntur . Si pater in impetrando reſcripto a Principe pro legitimatione non expreſſit ſe poſſe uxorem ducere , & liberos ſuſcipere , tunc vera eſt ſuperior ſententia , quia veriſimile cenſetur, neque eum , neque Principem cogitaſſe de filiis legitimis , & naturalibus ; at ſecus ſi id expreſſit , quia tunc obtinet poſterior ſententia ; nam ſicuti poteſt reſcriptum præjudicare filiis legitimis jam natis,ita & naſcituris.

XXIX. Legitimati autem per ſubſequens matrimonium admittuntur ad feudum ex communi Doctorum ſententia; nam licet in *d.* §. *naturales* indiſtincte dicatur , & generaliter , legitimatos non ſuccedere ; tamen hæc ſpecies cenſetur excepta ; idque pluribus rationibus probatur, primo ex jure Canonico , reſpectu filiorum naturalium matrimonium fingitur ante contractum , ſcilicet tempore nativitatis illorum , ex *cap.* 1. , & *cap. tanta qui filii ſint legitimi* , unde per eam legitimationem habiles redduntur ad dignitates Eccleſiaſticas ; igitur multo magis ad feuda .

XXX. Secundo id ipſum probatur ex *l. cum quis Cod. de naturalibus liberis* , ubi habetur filium naturalem per ſubſequens matrimonium legitimatum æqualem eſſe filiis natis ex legitimo matrimonio quoad ſucceſſionem , igitur & in feudis idem obtinere debet, nam ſecus inæqualis eſſet . Tertio noſtra concluſio rerum judicatarum auctoritate confirmatur , nam Mynſingerius *centuria* 5. *obſervat.* 22. ſic refert deciſum in Camera Imperiali , & confirmatur quoque exemplis , ut in Emphyteuſi Eccleſiaſtica , in qua receptum , ut filii legitimati per ſubſequens matrimonium ſuccedant cum legitimis, & naturalibus , quemadmodum in jure patronatus , vide Lambertinum *de jure patronatus parte* 2. *lib.* 1.

XXXI. Videamus , an filius ex juſta cauſſa exheredatus a patre ſuccedat in feudum ; & quamvis nonnulli in dubium revocent , quia in feudis , ut *ſupra* diximus , nulla eſt teſtamentaria diſpoſitio , *cap.* 1. *de ſucceſſ. feudi* , & forma Inveſtituræ ſervanda eſt , ex qua filius eſt vocatus, non poterit illa a patre immutari per exheredationem , nihilominus communis ſententia eſt , exheredationem excludere filium a feudo , ut probat Andreas de Iſernia in *d. cap.*1. & Zaſius *de feud.part.*8. *n.* 8.

XXXII. Nec arridet hac in re diſtinctio mihi , quæ placet quibuſdam , inter feudum hereditarium , & feudum ex pacto , & providentia ; nempe quod in illo obtinet exheredatio , in hoc autem ſecus ; nam ratio , cur exheredatus filius ex juſta

Digitized by Google

ſta cauſſa excludatur a feudo, illa eſt, ne detur occaſio filiis feudatarii impune parentibus injurias inferendi, ſi ſcirent non poſſe feudi ſucceſſione privari, & propterea cum hæc generalis ſit, non minus obtinet in feudo hereditario, quam in feudo alterius naturæ.

CAPUT X.

De ſucceſſione tranſverſalium in feudo.

DEFICIENTE linea deſcendentium, certum eſt in jure Romano admitti tranſverſales, ſive Collaterales ab inteſtato, quoties nec ulli extant ex linea aſcendentium; ſed videndum, an idem obtineat in feudis. Et jure quidem communi feudorum diſtinguitur inter feudum antiquum, & novum; in antiquo feudo fratri ſuccedit, *cap.* 1. §. *his vero deficientib. tit. de ſucceſſ. fratr.*; & ratio eſt in promtu, quia cum frater ſit vocatus in inveſtitura, debet utique ad feudum admitti: at in feudo novo ſecus ſe habet, ut patet ex *cap.* 1. *de fratrib. de novo feudo inveſtitis*, ſiquidem cum inveſtitura eſt recepta *pro ſe*, *& heredib. ex legitimo corpore deſcendentibus*, frater cum non deſcendat ex corpore fratris ſui, procul dubio nullum jus habet ad feudum.

II. In hoc tamen differt jus Romanum a feudali, quod ex illo deficientibus fratribus utrique conjunctis admittantur conſanguinei, & uterini, *novell.* 118.: at in feudis ſecus ſe res habet, quia ille, qui vult ſuccedere ultimo morienti, debet ei non ſolum eſſe conjunctus ſanguine, ſed etiam deſcendere ex corpore primi acquirentis, utpote vocatus in inveſtitura, & propterea frater conſanguineus non ſuccedit in feudo antiquo materno; & e diverſo nec ſuccedit uterinus in feudo, *d. cap.* 1. §. *his deficientibus*.

III. Ex hac regula illud etiam ſequitur, quod licet jure Romano utrinque conjunctus excludat fratrem ex uno tantum latere, *auth. itaque Cod. communia de ſucceſſ.*, tamen in feudis aliter obſervatur, ſiquidem cum in hac ſucceſſione ſpectetur linea; unde feudum provenit, ſequitur vinculum duplicis conjunctionis nihil operari. Et propterea ex LL. Longobardorum, quibus dividitur feudum, ſucceſſio pertinet eodem tempore tum ad utrinque conjunctum, tum ad conſanguineum fratrem, ſi eſt paternum: ſi vero maternum, uterinus ſuccedit cum utrinque conjuncto. At ubi vivitur jure Francorum, nempe ut ſolus primogenitus ſuccedat, inſpici debet, quiſnam ſit primo loco natus; nam ſi conſanguineus, hic excludit utrinque conjunctum in feudo paterno; in materno uterinus, ſi hic eſt primogenitus, quod pluribus dicemus in *cap. ſequenti* ex LL. Regni.

IV. Quoniam *ſupra* diximus in ſucceſſione feudali & gradus proximitatem ſpectari, & lineam, ex qua feudum provenit, inde ſequitur in feudo antiquo fratrem ultimi morientis excludere patruum ejuſdem, quia hunc gradu præcedit. At filius fratris, quia in eodem gradu eſt cum patruo,

Digitized by Google

patruo, pariter admittitur, ubi vivitur jure Longobardorum, & ex quo ſæpius diximus feuda eſſe divi-dua. Sin autem feudum eſt paternum, patruus licet ſit eodem gradu cum filio fratris, tamen non admittitur cum eo, quia hic deſcendit ex corpore primi acquirentis non autem ille: quod manifeſte probatur ex *cap.* 1. *de nat. ſucceſſ. feudi*, illis verbis: *reſpondi ad ſolos pertinere, qui ex linea ſunt, ex qua illa fit*.

V. Ex his alia removetur dubitatio, utrum frater patruelis admittatur ſimul cum patruo ultimi morientis feudatarii; ſiquidem ſi agatur de feudo ab avo acquiſito, patruus excludit patruelem, quia ille proximior eſt gradu, licet uterque deſcendat ex corpore primi acquirentis, nam patruus eſt in tertio gradu, *l.* 1. *§. tert. grad. D. de grad. & affinib.*; patruelis vero eſt in quarto gradu, *d. l.* 1. *§. quart. grad.*; & ob eandem rationem, ubi feminæ ſuccedunt, pro ut in Regno amita quoque excludit patruelem.

VI. Aſcendentes vero, licet jure Romano ante tranſverſales vocentur ad ſucceſſionem, tamen a feudis omnino excluduntur, unde Baldus dicere ſolebat, feuda non habere oculos retro, hoc eſt non reſpicere aſcendentes, ſed tantum deſcendentes. Ratio hujus juris in promtu eſt, ſiquidem cum feuda primo fuiſſent annua, & mox ad vitam feudatariis conceſſa, deinde Imperatorum conſtitutionibus ad filios fuerunt producta, nulla mentio de aſcendentibus facta eſt. His adde, quod inveſtitura concipitur pro ſe, & filiis, unde aſcendentes omnino ſunt excluſi: ceterum admittuntur aſcendentes, quoties expreſſe vocati ſunt in inveſtitura; poteſt enim Princeps feudum concedendo quaſcumque perſonas in conceſſione nominare.

CAPUT XI.

De ſucceſſione feudi ex jure Regni Neapolitani.

HACTENUS explicavimus jus commune feudorum circa ſucceſſionem, nunc videamus, quid ſpecialiter legibus noſtris eſt inductum. Duabus in partibus generaliter loquendo jus regni ſpeciale eſt, primo circa feminarum, quæ admittuntur deficientibus maſculis; ſecundo circa jus primogenituræ, quod a noſtris appellatur *jus Francorum*. Quamvis Longobardi primitus feudales leges in regno noſtro confeciſſent, tamen paulatim inductum eſt, ut leges reciperentur, quas Francorum populi ſibi conſtituerunt: & apud nos veriſimile eſt Normannos introduxiſſe, qui expulſis Longobardis hoc regnum occuparunt, & per multos annos ad poſteros tranſmiſerunt.

II. Ex his igitur Francorum primogenitus tantum vocatur ad feudum ceteris aliis excluſis, ut tradit Andreas de Iſernia *lib.* 2. *tit. per quos fiat inveſtit.*, verum non uſque adeo filii ſecundogeniti a feudi ſucceſſione excluduntur, ut nihil omnino ſuper ipſo feudo eis debeatur; ex eodem enim Francorum jure receptum eſt, ut certa portio reddituum illis aſſignetur, quæ vulgo dicitur a noſtris *vita*, & mi-

& militia, ſcilicet quod talis aſſignatio ſit, ut ſecundogenitus, & vitam ſubſtentare, & ad militiam commode ire poſſit: apud Francos enim (qui mos adhuc hodie in Gallia eſt) ut plurimum ſecundogeniti ad militiam proficiſcebantur. Et ſane licet quædam publica utilitas pro conſervatione familiarum ſuaſerit, ut primogeniti tantum admitterentur ad feuda, tamen non potuit inde effici, ut juri naturali derogaretur, ex quo ſuper bonis paternis certa portio, ſaltem alimentorum nomine, daretur filiis. Non levis tamen controverſia inter DD. agitatur, num hæc vita, & militia ſit portio ipſius feudi: communiter negatur, nam ſecus verum non eſſet ſecundogenitos a feudo excludi; & propterea pro vita, & militia conſequenda non poteſt ſecundogenitus petere aſſignationem in parte feudi, ſed tantum in fructibus, & redditibus illius, ſi fortaſſis primogenitus nollet eam ſolvere, quo ſenſu apud nos aſſerunt Pragmatici feudum eſſe individuum, ſcilicet pro partibus ad ſingulos ſucceſſores pertinentibus.

III. Quamvis pro alimentis debeatur vita, & militia, tamen communiter aſſerunt DD. apud Tiraquellum *in tract. de primogen.*, non ſemper eſſe loco alimentorum, quod datur ſecundogenito, nam ex bonis a ſeipſo acquiſitis, vel aliunde obventis præſtanda quoque vita, & militia: ob eandem rationem ſecundogenito Clerico etiam præſtanda eſt, primo quia talis aſſignatio eſt loco legitimæ, quæ indiſtincte omnibus filiis debetur, & cum legitimæ filiorum nullum poſſit onus imponi, hinc deciſum proponit de Afflictis *dec.* 253.; onera feudi, ut Adoha, & relevium a primogenitis ſolvenda eſſe, non a ſecundogenitis ſuper vitam, & militiam. Additur & alia ratio, quia quod debetur ſecundogenitis, non eſt portio feudi, ut *ſupra* diximus, & ideo onera ſequuntur tantum poſſeſſores ipſius rei.

IV. Cum poſſit ab ipſo patre in teſtamento vita, & militia aſſignari, videamus, an id tacite intelligatur factum a patre, ſi aliquid relictum ſit legati nomine, adeout ſit in compenſationem illius: & affirmandum quidem cenſent exemplo dotis, cum qua compenſatur, quod alia ratione filia accepit a patre ex *l. ſi cum dotem* 22. §. *ſi pater D. ſolut. matrim.* ſequuntur alii hac in re diſtinctionem Pauli Caſtrenſis *l. hujuſmodi* 84. §. *cum pater D. de legatis* 1. quando debitum eſt in quantitate, & legatum in ſpecie nulla admittitur compenſatio, veluti pater promiſit centum pro filia dotis nomine, & deinde eidem reliquit in teſtamento feudum, nulla hic erit compenſatio, nam & centum debentur, & feudum: at ſecus ſi centum eidem relicta ſint legati nomine, nam heres unam ſummam tunc tenetur ſolvere, alias repellit petentes utramque ſummam exceptione doli mali, ut eſt ſpecies *d.* §. *cum pater*: igitur in ſpecie noſtra ſi legatum a patre relictum ſecundogenito erit in annua quantitate, præſertim ſi eo poterit commode ſe ſubſtentare, & niſi nihil expreſſerit, videtur tacite feciſſe actione compenſandi, adeoque dediſſe legata pro vita, & militia, aliter poterit & legatum peti ex teſtamento, & vita, & Militia ſuper feudo, unde primogenitus ſi fuerit in hoc caſu heres inſtitutus, ad utrumque onus tenetur.

V. Semel determinata vita, & militia, nunquam amplius mutatur; & propterea neque augetur, neque mi-

minuitur, licet primogenitus locupletior efficiatur ex fructibus feudi, vel pauperior ex deminutione eorumdem: ſemel autem hæc portio debetur, adeo ut ſi mortuo patre, pluribus relictis filiis, primogenitus feudum habens fratribus vitam, & militiam aſſignet, licet poſtea ille moriatur ſine filiis, & ſecundogenitus admittatur ad feudum, non competit reliquis fratribus alia vita, & militia, ut tradit Petrus Gregorius *in tract. de vita, & militia*: verum hoc caſu diverſa ratio habetur, nam quando conſtituitur filiis legitimis, & naturalibus, hi non majus habent jus in bonis paternis, quam naturales tantum, quibus alimenta tantum præſtantur, non aliqua portio in hereditate.

VI. Quamvis ex noſtris legibus, ut diximus, ſecundogenitis vita, & militia debeatur, tamen aliquando debetur etiam primogenito, quoties hic excluditur a feudo, veluti ſi ad Clericatum eſt promotus, idque decretum refert de Franchis *deciſ.* 20. nam cum illa præſtetur loco legitimæ ſemper debetur, niſi expreſſe fuerit renunciatum, & licet feudum a primogenito refutetur alteri ex fratribus, nihilominus adhuc debetur vita, & militia, nam hæc non intelligitur comprehenſa, niſi nominatim dicatur.

VII. Cum diximus primogenitum ad feudum admitti Jure Francorum, intelligitur tot eſſe lineas primogenituræ, quot ſunt fratres, adeout primus frater conſtituat primam lineam, ſecundus ſecundam, tertius tertiam, & ſic deinceps, prout explicatur communiter regni conſtitutionibus de ſucceſſionibus, ubi plene de hac ſucceſſione tractatur, & propterea licet aliquando apud nos agitata ſit quæſtio inter filium ſecundogeniti mortuo primogenito vivente adhuc feudi poſſeſſore, & tertiogenitum, tamen ex communi ſententia ille, nempe filius ſecundogeniti excludit tertiogenitum, eundemque patruum ſuum; nam etſi ſecundogenitus deceſſerit, cum adhuc feudatarius eſſet vivens, unde dici poteſt, nihil tranſmiſiſſe ad ſuum heredem, tamen ejus linea admittitur omnibus aliis excluſis, unde primo obſervatur ordo lineæ, & poſtea primogenitura. Quod ipſum quoque admittunt DD. quoties agitur de ſuccedendo a fideicommiſſum ratione primogenituræ, prout uſus fert in familiis eorum; qui feuda non habentes pro conſervatione illarum conſtituunt fideicommiſſa favore primogenituræ, & vulgo dicuntur *Majoranus*.

CAPUT XII.

De ſucceſſione feminarum ad feudum.

AD feminarum ſucceſſionem accedamus. Hæ vocantur quidem ex LL. regni ad feuda, ſed Maſculis deficientibus *in conſtit. ut ſucceſſionibus*; quando vero maſculi exiſtunt, alio modo eis proviſum, ut ſcilicet dotem habeant, quæ dicitur vulgo *Paragium*, ſive *dos de Paragio ex conſtit. in aliquibus*: ideo autem Paragium dictum nonnulli cer-

ſent , quiæ dos , quæ feminis a fratre ex feudo debetur, aſſignanda eſt ſecundum qualitatem ipſius feudi , conditionem familiæ, & dignitatem conjugum . Datur autem feminis actio pro vita , & militia , quoties nullum fuerit ea de re judicium paternum in teſtamento , nam eo caſu id ſervatur , quod diſpoſitum fuit a patre , modo legitimæ ratio habita fuerit .

II. Actiones autem , quæ dantur pro ſuperioribus cauſis , fere naturales eſſe exiſtimo , & appellari poſſe *condictiones ex lege*, ſic enim generalis definitio eſt in *l.* 1. *D. de condict. ex lege*; ſi obligatio nova introducta ſit , nec cautum ſit eadem lege , quo genere actionis experiamur, ex lege agendum eſt . Quapropter cum paragium, & vita, & militia ſit ex jure regni noſtri, nec eadem caveatur , quanam actione agendum , dicemus, condictionem dari ex lege regni Neapolitani .

III. Quoties igitur maſculi nulli exiſtunt , tunc admittuntur feminæ ad feudum cum eadem prærogativa ætatis ; quemadmodum obtinet in Maſculis, adeout primogenita excludat reliquas ſorores ſecundo loco natas . Habetur autem ex *d. conſtit. ut de ſucceſſionibus*, ut primogenita dotata jam a Patre de bonis ipſius excludatur a ſecundogenita adhuc virgine . Verum fingamus primogenitam dotem nondum habuiſſe a patre , ſed tantum ei promiſſam eſſe , quæritur an adhuc excludatur a feudo : negat quidem Andreas de Iſernia in *cap.* 1. *de nat. ſucceſſ. feudi* , & utitur ea ratione , quia cum conſtitutio ſit quodammodo odioſa , utpote quæ detrahit jus quæſitum primogenitæ , debet in propriis terminis intelligi , nempe ubi de facto eſt dotata, quia verba cum effectu ſunt recipienda ex *l.* 3. §. *hæc verba D. de negotiis geſtis*.

IV. At contraria ſententia eſt recepta , & ſæpe uſu probata , primo quia ex regula *l. qui per actionem D. de reg. jur.*, qui actionem habet ad rem conſequendam , ipſam rem habere videtur; & propterea filia primogenita, cui dos eſt promiſſa , habet actionem pro ea conſequenda , unde cenſetur , tamquam ſi accepiſſet , ſecundo ex ſententia Bartoli in *l. Titio* 100. *D. de condition.* , & *demonſtr.* , qui docet , ubi adeſt ſtatutum , ſive lex municipalis , ut filia dotata excludatur a ſucceſſione , intelligi etiam excluſam, quoties in teſtamento dos aſſignatur : igitur multo magis in caſu noſtro cum dos promiſſa eſt inſtrumentis nuptialibus . Excipitur tamen a Doctoribus ea ſpecies , quoties primogenita dotem a patre , & obtinere non potuerit , quia tunc habetur , tamquam ſi dotata non eſſet , & in hoc caſu ſequi debemus ſententiam Iſerniæ , nempe primogenitam non excludi , nam ſecus ſe habet, quoties per ipſam ſtetit , quominus dotem conſequeretur .

V. Illud autem non ſatis conſtat , an quoties viro tantum data , vel promiſſa eſt dos , muliere ignorante, idem jus obtineat de ejus excluſione a feudo : & negant de Afflictis , & de Iſernia *loco cit.* , & aſſerunt eo caſu nullum mulieri præjudicium afferre poſſe ex facto alieno ; & huc aptatur regula *l. non debet* 74. *D. de reg. juris* : *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri* : deinde excluditur mulier dotata , quando cenſetur tacite feudo renunciaſſe, quod utique nequit dici de muliere ignorante : ulterius progreditur idem de Iſernia , non cenſetur ullum mulieri præ-

Digitized by Google

præjudicium inferri, quoties in vita datur a patre, nam debet dotis aſſignationi conſentire; & movetur præſertim ratione modo adducta, quia renunciatio non fit, niſi ſponte; nemo autem compellitur ad renunciandum, propterea ſi mulier non poteſt cogi ad dotem accipiendam, nec etiam invita cenſetur renunciaſſe feudo, quod ei competit ratione primogenituræ.

VI. In dubio autem quoties ignoratur, utrum mulier ſciverit, an ignoraverit dotem ſibi conſtitutam eſſe, præſumitur eam ſciviſſe, adeoque conſenſiſſe; & proinde excluditur a feudo, quia ſemper cenſetur mulierem ſcire, quæ a marito geſta ſunt, præſertim quando dos conſtituitur in capitulis matrimonialibus, quæ perficiuntur per publica inſtrumenta, & eo magis, ſi ex fructibus dotis mulier utilitatem percipit.

VII. Tunc autem filia primogenita dotata excluditur *ex d. conſtitut. ut de ſucceſſionibus*, quoties dos ab ipſo patre proficiſcitur, ſcilicet ex rebus ipſius; nam ſi fuerit adventitia, illa non excluditur a feudo; & ratio eſt, quia non præſumitur mulierem feudo patris renunciaſſe, cum ab eo nihil accepit: verum ſi patri ab ejus fratre legatum ſit relictum, ut ex eo dotem filiæ conſtitueret, dubitatur, an caſu hoc profectitia dicenda ſit dos, ut illa excludatur a feudo, an potius adventitia: & ex communi Doctorum ſententia poſt Accurſium in *l. qui aliena D. de acquir. heredit.*, qui docet datum, vel relictum nepoti ab Avo non eſſe profectitium reſpectu patris, ſed adventitium, dum nominatim non relinquitur contemplatione patris: hoc ſane probatur manifeſte ex *l. avus 79. de jure dotium*, ubi aſſeritur, dotem nepti ex filio datam ab Avo profectitiam non eſſe, ac proinde mortua muliere ad patrem non reverti, quia nihil ex bonis ejus profectum eſt, adeoque multo magis in caſu propoſito, quoties a fratre patris, eodemque patruo mulieris legatum pro dote eſt relictum, ut diximus.

VIII. Cum dos mulieribus non arbitrio patris ſtatuenda ſit, ſed debeat eſſe congrua, videamus modo, an ſi mulier dotem acceperit, ſed incongruam, excludatur a ſucceſſione feudi. Et non una ratio ſuadere videtur, ut adhuc cenſeatur excluſa, primo quia ſuperior conſtitutio generaliter loquitur, quoties mulier eſt dotata, & diſtinguit, utrum congrue, an ſecus, ex generali regula Doctorum ubi lex non diſtinguit, nec etiam nos diſtinguere debemus: ſecundo quia ex receptione dotis cenſetur renunciaſſe feudo, & propterea non debet admitti, nam poſt Alexandrum Albertinum, alioſque tradit Cardinalis Pariſius *lib. 3. conſ. 26.*, filiam incongrua dote accepta ob renunciationem non poſſe ſucceſſionem paternam petere *ex cap. quamvis de pactis.* Nec refert, quod in caſu noſtro tacita fuerit renunciatio, quia non ſemel taciti, & expreſſi eadem vis eſt, & apparet ex *l. Clodium 97. D. de acquir. hered.*, ubi hæc proponitur ſpecies: Clodius quidem, facto prius teſtamento utiliter poſtea eundem heredem in alio teſtamento inſtituerat; putavit Papinianus heredem, cum exiſtimaſſet poſterius teſtamentum valere, & ex eo petiiſſet hereditatem, excludi omnino debere, cum illud pronunciatum eſſet non conſiſtere, qui ex priori, licet valido, non poſſit admitti, nam etſi hereditatem ex illo non repudiavit, tamen petendo

ex

ex poſteriori, cenſetur tacite priori renunciaſse, unde tacita renunciatio eandem vim habet, ac ſi fuiſset expreſsa.

IX. Tertio quemadmodum legitima, licet minima, filio relicta excludit eum a querela inofficioſi, & tantum agere poteſt ad ſupplementum, *l. omnimodo 30. & l. ſcimus 36. Cod. de in officioſo teſtam.*, ita & in caſu propoſito agere poterit filia primogenita ad ſupplementum dotis; non autem petere ſucceſſionem feudi, a quo cenſetur excluſa.

X. Verum contrarium magis æquitati eſt conſonum, ſiquidem conſtitutio ſuperior cum ſit odioſa, ut diximus, reſpectu filiæ primogenitæ ſemper intelligenda eſt, quoties pater nullam ei attulit injuriam; & evenit, quoties incongruam dotem accepit, nam tunc præſumitur voluiſſe feudo renunciare, unde ceſſat ſuperior adducta ratio. Eadem vis eſt taciti, & expreſſi, nam id intelligitur, ubi nulla adeſt lex in præjudicium alicujus; tunc enim non èſt ad conjecturas recurrendum, quæ præjudicium ampliant contra voluntatem ejus. Hinc Baldus in *l. ult. Cod. de dotis promiſſ.* expreſſe docet, ſtatutum excludens filiam dotatam a ſucceſſione ſemper intelligi debere de congrua dote: nec valet exemplum legitimæ in minori quantitate relictæ, ſiquidem dum filius habet legitimam, non dicitur excluſus a ſucceſſione præſertim poſt conſtitutionem Juſtiniani in *Authentico ut cum de appellat. cognoſc. §. aliud quoq. capitulum*, ex qua Inſtitutionis tantum titulo legitima relinqui debet; quod ſecus eſt, in dote, nam ea non dicitur ſucceſſio ad hereditatem patris, a qua non debet excludi filia, ubi dos non eſt congrua.

XI. Multo magis excluſa non cenſetur primogenita, quoties dotem nullam accepit, ſed tantum vel propter nobilitatem generis, vel formam eximiam virum invenit, quo ea ratione matrimonium contraxit; aut ſi provectæ ætatis, aut humiliori loco natus: nam etſi quæ concurrunt in muliere prærogativæ, reſpectu viri cenſeantur loco dotis eſſe, non debent tamen mulieri ipſi præjudicium afferre, quæ revera dotem non accepit, prout requirunt verba conſtitutionis. Deinde ſi dos non a patre profecta eſt, ſed ab extraneo, non excludit mulierem a feudo, ut diximus; unde ait Andreas de Iſernia *d. cap. 1. de nat. ſucceſſionis feudi*, dotem quæ filiam primogenitam excludit, debere eſſe de bonis, & ſubſtantiis patris; multo magis non excludet in ſpecie noſtra, in qua prærogativæ in perſonam mulieris, ſive ex genere, ſive ex pulchritudine, nihil detrahunt e paterno patrimonio.

XII. Ob eandem rationem docet idem de Iſernia in *cit. conſtit. ut de ſucceſſionibus*, neque excludi primogenitam a feudo, niſi ullam dotem voluit ſibi conſtitui, quia pater illius ob propria merita in aliqua dignitate eſt conſtitutus vel magnos honores eſt adeptus, ſive ratione ſcientiæ, ſive artis militiæ; nam ſemper verum eſt nihil mulierem habuiſſe de bonis patris.

XIII. De nepote, vel nepte videamus ex filia primogenita jam dotata, num admittantur ad excluſionem ſecundogenitæ. Et ſiquidem dum moritur feudatarius, primogenita adhuc eſt vivens, dubitationem non habet; admittitur enim ſecundogenita, quæ gradu eſt proximior, nec nepos vel neptis poteſt repræſentare gradum matris, quæ cum exi-

Digitized by Google

ſtit, eis eſt impedimento; non enim poteſt illius locum occupare, ſive eam repræſentare; nam ſubingreſſio, ut noſtri dicunt, ſive repræſentatio non obtinet, niſi cum ille, qui gradu eſt proximior, jam defecit, quod ſane generaliter docuit Bartolus in *l. 2. D. ad ſenatuſconſ. Tertull.*, aſſerens ſtatutum excludens unum propter alium intelligi de iis, qui ab eo proveniunt. Inſuper verba *dictæ conſtit. ut de ſucceſſionibus* hoc exigunt; ſic enim ſe habent, *filiæ virgines domi manentes poſt mortem patris filias collocatas, & dotatas de bonis paternis excludunt*: ſic debent quoque intelligi, ubi adſunt ex primogenita deſcendentes.

XIV. At cum filia primogenita vivente patre jam deceſſit, tunc non levis dubitatio eſt de filiis, & filiabus, quos relinquit; & de his primo loco adducitur exemplum ex matre, quæ non petiit Tutorem filio pupillo, nam excluditur ab ejus ſucceſſione, quaſi in pœnam, & ceteri conjuncti per lineam maternam admittuntur, *l. 2. D. ad SCtum Tertull.*: igitur eodem modo excluſa primogenita dotata, qui ex ea deſcendunt, debent admitti. Secundo; ut ſæpe diximus, *dicta conſtitutio ut de ſucceſſionib.* cum ſit odioſa, ad ſpeciem ibi expreſſam eſt reſtringenda; loquitur enim de filia dotata, igitur ad neptem produci non debet, quæ nullam dotem accepit: & moriente feudatario ipſa reperitur loco matris jam prædefunctæ. Tertio affertur exemplum filii exheredati, vel deportati, qui cum excluditur a patris ſucceſſione, facit locum nepoti ex *d. l. ſi quis*, ubi dicitur, quod ſi pater adhuc ſuperſtes vel repudiavit querelam, vel quinquennio tacuit, ſcilicet poſt aditam avi hereditatem a filio, de inofficioſo teſtamento agere non poſſit.

XV. Poſtremo ex communi Doctorum ſententia, poſt Paulum Caſtrenſem in *l. in quartam D. ad legem falcidiam*, aſſeritur dotem filiæ datam, quæ vivente patre deceſſit, non imputari in legitimam nepotibus ex ea: igitur multo magis in caſu noſtro dos data primogenitæ non imputatur in ſucceſſione neptis; quæ cum in ejus locum pervenit, debet habere ſucceſſionem ad feudum.

XVI. Cum excluſio primogenitæ a feudo ſit favore ſecundogenitæ virginis, ut ſunt expreſſa verba conſtitutionis, recte dicemus primogenitam unicam, licet dotatam, non excludi a feudo, neque a reliquis agnatis, neque a fiſco, ut docet *in eadem conſtit.* **Bartholomæus** de Capua. Hinc Andreas de Iſernia generalem regulam proponit, ad excludendam primogenitam ultra dotem requiri exiſtentiam Sororis in capillis, hoc eſt Virginis.

XVII. Quoties agitur de ſucceſſione ad feudum matris, primogenita, quæ dotem habuit ex bonis patris, non excluditur; nam conſtitutio intelligenda eſt de feudo patris, unde generaliter & Gloſſa, & Baldus definiunt, ſtatutum excludens dotatam a ſucceſſione ſemper intelligi ſuper bonis dotantis; at ſecus, ſi a matre fuit dotata in ſubſidium, quia nulla erant bona patris, nam ea excluditur propter regulam ſuperiorem: ſi fingamus, patrem ſimul cum matre dotem tradidiſſe, tunc nec etiam excluditur primogenita a feudo matris, quia cum onus dotandi ad patrem pertineat *l. ult. Cod. de dot. promiſſ.*, obligatio matris cenſetur potius animo fidejubendi, ſcilicet ut ipſa teneatur, cum pater

ſit

Digitized by Google

ſit impotens ſecundum communem DD. ſententiam in *l. vir uxori §. ult. D. ad SCtum Vellejanum*.

XVIII. Demum illud eſt advertendum ex eodem Andrea de Iſernia, tunc a feudo matris excludi primogenitam ab ea dotatam, cum eam mater dotavit exiſtentibus bonis paternis; nam ſi id fuit ſponte, videtur potius quædam donatio, quæ non præjudicat filio in feudi ſucceſſione.

XIX. Olim ſane fuit non levis controverſia, an ſoror dotata de bonis communis patris excludatur a ſucceſſione patris in feudo, nam & Gloſſa in *d. conſtit.* cenſuit excludendam eſſe, & Andreas de Iſernia *eodem in loco*, qui hac utitur ratione, quia pater, & filius pro una eademque perſona habentur ex *l. ult. Cod. de impub., & aliis ſubſtitut.*; quapropter mulier, quæ dotem habuit a fratre, cenſetur tamquam ſi a patre ipſo habuiſſet: inſuper cum feudum acquiſitum fratri, ſit a commune patre relictum, nam poſt dotem acceptam tacite, ut diximus, ipſi feudo renunciavit ſoror, ideo non debet amplius admitti, ſi ad fratrem pervenit, nam mutatur ejus conditio.

XX. Verum hæc controverſia ſublata jam fuit poſt *conſtitutionem Joannæ II. Reginæ*, quæ legitur in *pragm. 1. de feudis*, ubi favore ſororis fuit decretum, & generaliter ſtatutum, ubi vivitur jure Francorum, ad hoc, ut mulier excludatur a feudo, requiri, ut ſit dotata de bonis ejus, qui feudum reliquit: unde in ſpecie noſtra licet proponatur ſororem fuiſſe dotatam a patre, nihilominus cum dotem non recepit a patre, non debet ab illius feudi ſucceſſione excludi. Occaſionem dedit dictæ conſtitutioni Catharina filia Comitis Abellini, quæ in matrimonium a patre collocata fuerat Joanni Caracciolo, qui ea ætate ejuſdem Reginæ erat a conſiliis, imo omnia in Regno pro arbitrio moderabatur. Cum deceſſiſſet igitur filius primogenitus dicti Comitis, cui feudum poſt mortem patris obvenerat, nullis relictis filiis, nec aliis fratribus, controverſia agitabatur inter Philippum patruum feudatarii jam mortui, & dictam Catharinam: unde inter Juriſconſultos diſcuſſa pronunciatum fuit favore ipſius mulieris. Imo generalis lex ſancita fuit, poſtmodum uſu confirmata, quæque apud nos hodie obtinet, & vulgo ob cognomen mulieris, quæ occaſionem dederat legi, appellata fuit ea conſtitutio *Filingeria*.

XXI. Poſt dictam conſtitutionem dubium extitit de ſorore dotata a fratre de paragio ſuper bonis feudalibus relictis a patre, an ſucceſſione fratris excludatur. Et ſecundum ſuperiorem Pragmaticam non excludi quibuſdam videtur, nam dos non fuit conſtituta de bonis fraternis, qui paragium aſſignando videtur potius eam portionem dare ſorori, quam tenebatur pater; nihil enim ipſe dedit de proprio, unde dici poterit ſororem a fratre, qui nihil aliud fecit, quam onus hereditarium exſolvere: & nos debemus non verba legis interpretare, quæ generaliter aſſerunt ſororem dotatam a fratre, ſed potius mentem, quando dos fuit conſtituta ex patrimonio ipſius fratris.

XXII. Poſtremo cum in foro uſitentur proteſtationes, cum ſcilicet quis extrinſece actui alicui conſentiens, dicet nihilominus vel ſcriptura, aut coram teſtibus, ſe non id facere in ſui præjudicium, videamus an primogenita accipiens

do

dotem, dum proteſtatur ſe non renunciare feudi ſucceſſioni, valide id fecerit? Et ſane Audreas de Iſernia *in cit. conſtit. ut de ſucceſſionib.* manifeſte ait, eam proteſtationem nullius utilitatis eſſe mulieri, tum quia eſt contraria facto, tum quia eſt præjudicium alterius, nempe ſecundogenitæ, quæ vocatur ea excluſa, tum quia eſt jus ipſum, quod non poteſt ſubverti privatorum voluntate, ſiquidem cum citata conſtitutio *ut de ſucceſſionib.* aperte excludat a feudo primogenitas dotatas, ſequitur non poſſe eaſdem contrarium ſtatuere ſuis declarationibus.

XXIII. Et quamvis Pater, aut frater conſentiat proteſtationi, idem nihilominus erit dicendum; nam nec ipſi poterunt diſpoſitionem juris mutare, aut quidquam approbare in præjudicium alterius. Huc aptari poſſunt verba *l. nemo* 55. *D. de legatis*, quæ licet ſint de teſtamento, tamen recte aliis caſibus aptantur, *nemo poteſt in teſtamento ſuo cavere, ne leges in eodem locum habeant*.

XXIV. Verum non deſunt ex Doctoribus regni, quibus contrarium perſuaſum eſt, ea ratione, quia cum in regno feuda ſint hereditaria quoties pater, aut frater feudum poſſidens proteſtationi primogenitæ conſenſit, ejus voluntas obſervanda eſt ab herede, qui non poteſt venire contra pactum illius, & propterea ſecundogenita nondum nupta, dum vult ad feudum admitti, non audietur, quia non obſervat, quod inter patrem, aut fratrem feudatarium, & primogenitam actum eſt. At ubi feudum eſt ſimpliciter ex pacto, & providentia, ſcilicet qui ſuccedit, non ſuccedit tamquam heres ultimi morientis, ſed uti agnatus, ſecus ſe res habet, quia filia venit jure ſuo, & cum non teneatus ad onera a patre contracta, nec etiam tenebitur voluntatem ejus ſervare.

CAPUT XIII.

De ſucceſſione Aſcendentium.

* ROMANIS legibus ita de Aſcendentium ſucceſſione cautum, ut inteſtato abſque filiis decedente Cive Romano Aſcendentes, & cum his Germani fratres, vel ſorores ad ſucceſſionem vocentur, *novell.* 118. *cap.* 2.; ſed jure feudali ex vulgo Forenſium dicterio feuda deſcendunt, non vero aſcendunt: hinc aſcendentibus non patent, niſi poſtremo tamen loco, nempe deficientibus tranſverſalibus, niſi antiquum, vel paternum, in quo attenditur origo ad hoc, ut intra familiæ limites ſervetur, neque ab ea exeat, in qua ſemel inciderit: ſecus erit in feudo novo, quo per filiumfamilias quæſito nihil juris Pater in eo ſibi vindicare audebit, ſed perpetuo ad ejus deſcendentes tranſibit.

II. Verum jure noſtro municipali pluries evenit in Regno, ut ad præfatam ſucceſſionem aſcendentes admittantur, & primo ſi feudatarius Principi feudum renunciet, ea lege, ut

Digitized by Google

ut ejus inveſtituram filio ejuſdem renunciantis tribuatur ; filius enim de hoc feudo a Principe inveſtitus novum dicitur feudum acquiſiviſſe ; adhuc tamen eo fine filiis decedente Pater ad ejus ſucceſſionem vocabitur : erit enim valde durum, hunc eo feudo privari, quod prius ab eo fuerit poſſeſſum ; ita ut debeat in ejus detrimentum detorqueri, quod ab eo in filii favorem geſtum fuerit, ſicque duplici dolore prematur, & filii amiſſi, & feudi deperditi. Secundo ſi filiofamilias fuerit a Principe Patris contemplatione, & ejus meritorum intuitu feudum conceſſum, eo fine prole decedente ad Patrem redibit ; nam quod filio favet ob merita Patris, illo deficiente in ejuſdem patris emolumentum æquum eſt, ut redundet; & ſic munificentia Principis ad ſuam cauſam redire videtur. Tertio ſi feudatarius ſine filiis decedat poſt feudi refutationem patri factam, ſive id in feudo novo, ſive in antiquo procedat, de Ponte *de poteſtate Proregis tit.* 8., atque in hac hypotheſi, etiam ſi cum fratribus defuncti concurrat, eiſdem erit præferendus, ut pluries in S. C. deciſum teſtatur Vincentius de Anna *de Vaſallo decrepitæ ætatis deciſ.* 591.

III. Ubi notandum, quod jure communi ſi pater filio, & proximo ſucceſſori feudum refutet, hoc filio ſine filiis decedente, nequit Pater ad ejus ſucceſſionem vocari, nam ſtante prædicta refutatione feudum novum evaſit, a quo pater eſt excludendus, Iſernia *in cap.* 1. *de natura ſucceſſionis feudi* : quod hodie non procedit in Regno ; nam vigore gratiæ anno 1557. a Carolo V. Imperatore Baronibus conceſſæ ; quæ proſtat *in pragm.* 11. *de feudis*, feuda quæ in favorem proximi ſucceſſoris refutantur, retinent naturam feudorum antiquorum, de Ponte *loco cit.* : adeo ut relevium ex hoc feudo Principi perſolvendum erit ſequuta morte patris refutantis, etiamſi filius vivat, cui refutatio facta ſit, *d. pragm.* 11. : nec refragatur *pragm.* 14. *eod. tit.*, ubi præfatus Imperator ſanxit, ut facta filio feudi refutatione contemplatione matrimonii, hoc fine filiis defuncto ſucceſſio fratribus tribuenda ſit ; nam hæc diſpoſitio procedit, ſi filio donatario obeunti Pater non ſuperſit.

IV. Itaque ſi turbato mortalitatis ordine pater filio donatario præobeunti ſuperſit, feudum ſibi jure poterit adipiſci, ut forenſes aiunt, non jure reverſionis, ſed jure ſucceſſionis, quæ duo valde inter ſe differre videntur, nam ſuccedendi jus id agit, ut pater non modo ad relevium perſolvendum teneatur, de Franchis *dec.* 3. *&* 591 ſed etiam de ære alieno perſolvendo ſubeat onus, ſi id fuerit a filio ſuper feudo contractum, eo, quod eſt verus heres filii, etſi non cogatur vitam militiam fratribus, neque paragium ſororibus defuncti perſolvere, nempe ſuis filiis, nam etiam hac ſucceſſione præciſa jure patris filiorum egeſtatibus conſulere tenetur ; tandem vigore privilegiorum Philippi III., & IV. datum eſt jus aſcendentibus etiam in feudis novis deſcendentium ſuccedere, dummodo feudum non tranſeat ad Collaterales patris, *tomo* 2. *privilegiorum fol.* 83. *&* 127., Hac de re agendum videtur.

De feudi refutatione.

V. Hæc quoque dicitur anticipata feudi ſucceſſio : ubi ſciendum feuda poſſe

Digitized by Google

poſſe multifariam nobis acquiri, aut inveſtitura, aut emtione, aut ſucceſſione, aut denique donatione, quam refutationem dicunt forenſes, atque hæc aliquatenus videtur ſucceſſioni cohærere; & quamvis Romano jure repugnet hereditas viventis, cum nequeat quis viventi jure univerſali ſuccedere, eique ſuarum rerum commercium, & adeptionem auferre; verum non idem evenit in feudali juriſprudentia, quæ ut in aliis, ita in hac re a jure communi diſcedere viſa eſt. Francorum jure feudum integrum conſtituit patrimonium; quique in eo ſuccedit, titulo univerſali ejus ſucceſſionem adipiſcitur, proinde qui alteri feudum refutat, ſibi univerſalem conſtituit heredem, qui non modo vicem gerit heredis, ſed ejuſdem verus eſt heres, in quem jura omnia activa æque, ac paſſiva, quæ feudo debentur, tranſire dicuntur.

VI. Feudorum refutatio duplici ex cauſa in jure feudali fuit invecta, vel ſi Baro nequeat feudalis adminiſtrationis ſibi forſan laborioſæ curam perferre, vel ſi velit a filio primogenito, ſive unigenito nuptias celebrari, quæ ut valeant juxta familiæ decus iniri, facultates in eo requirunt, qui eiſdem contrahendis par eſſe velit, neque ſola hereditatis Paternæ ſpe foveatur, quæ quandoque vel bonis longæva Parentis ætate deminutis vel ære alieno laborantibus eluſoria eſt, & incerta: hac de re mos invaluit ut contemplatione certi, vel etiam incerti matrimonii a filio contrahendi, Pater eum de ſua poteſtate ſubducat, eique feuda refutet, quorum ſucceſſorem conſtituat univerſalem, ſeque ab utili eorum dominio, quo fovebatur, arcendo nihil juris amplius in eis exercere, aut vindicare dicatur.

VII. Hæc itaque refutatio, ubi in proximum, & immediatum ſucceſſorem contingat, Regium non requirit Aſſenſum cum vera non ſit alienatio, ſed civile commentum, quo Baro ficta quadam morte ſe de medio ſubtrahit, atque agnato proximiori locum tribuit, ut ei ſuccedere valeat, eumque vocat ad feudum ipſo vivente adipiſcendum, qui ex lege inveſtituræ eo defuncto eſſe proxime ſucceſſurus, qua refutatione neque familiæ detrimentum, neque Regiæ Curiæ præjudicium infertur: aliud porro eſſet, ſi refutatio remotiorem reſpiceret Agnatum, tunc enim Regis aſſenſu eſſet opus, ut conſiſteret, hoc deficiente rueret, Regens Marcianus *diſp.* 70.

VIII. Sed hic duo notanda; primum eſt, ſi refutationi factæ in proximum ſucceſſorem pactum adjiciatur ut ea debeat Regio aſſenſu muniri, hoc non obtento non inde dicendum eſt corruiſſe; etenim adhuc eo deficiente conſiſteret, neque lex adjecta donationi de aſſenſu impetrando neceſſariam inducit conditionem, qua deficiente ruat conventio, ſed adjecta videtur, quo magis ſibi donatarius caveat.

IX. Alterum eſt, quando contingeret, ut refutatio fiat in eum, qui proximus non ſit refutantis ſucceſſor eo die, quo ipſa celebratur, ſed proximus evadat tempore mortis illius, puta, ſi fiat ab Avo in beneficium Nepotis, qui Patre vivente non eſſet proximus ejuſdem Avi ſucceſſor, tum hujus donatarii Pater decedat, an Avo ſit proxime ſucceſſor Nepos, qui refutationis tempore proximus non erat hoc poſito caſu, ſemper ipſa refutatio conſiſtet: nam proximus in jure is eſt, quem nemo antecedit tempore mortis

Google

tis refutantis: itaque aliud eſt tempus, quo actus exercetur, aliud quo perficitur: cum exercetur, continet ordinem, ſeu diſpoſitionem ejus, quod prævideri ſolet, cum vero perficitur, eſt rei prævisæ completa conſumatio; atque inter has moras multa poſſunt accidere, unde refutatio aut ſolide compleatur, aut ex aſſe ruat.

X. Debet inſuper hæc refutatio pure, atque ſimpliciter celebrari; quod ſi conditio, vel clauſula miſceatur eidem, ni fuerit aſſenſu munita, nullius erit momenti. Ut ergo ſuum ſortiatur effectum, debet quocumque vinculo, & pacto carere, non ſecus ac Romano jure actus legitimi celebrantur, qui conditiones, ac tempus omnino reſpuunt, *l. actus legitimi D. de regulis juris*, cum quibus refutatio quodammodo convenit, eo quod ex ea videtur novam induere naturam, & ſtatum; nam filiusfamilias hujus beneficio feudum adipiſcitur, & depoſito nomine, ac filii qualitate ſui juris evadit feudi adminiſtrationem nanciſcendo; non ſecus ac in emancipatione uſuvenit, cujus vi paterno deficiente imperio ſui juris filius evadit.

XI. Id vero controverſi juris eſt, an pacta, & conditiones refutationibus adjectæ pro rejectis habeantur, adeo ut illæ tamquam puræ, & ſimplices, & abſolutæ habeantur. Docent nonnulli pacta, & conditiones refutationi appoſitas rejici, dummodo non immediate, nec principaliter eam reſpiciant; ſecus eſſet, quoties in eis refutans ita firmiter conſiſtat, ut pro legibus velit eſſe habendas, quibus non adimpletis refutatio non procedat, neque ab eo lata eſſet, Merlinus *centuria* 2. *cap.* 59.: contra vero Fabius de Anna *conſilio* 41. docet ſemper ab initio præfatam refutationem corruere debere: cum enim voluntas contrahentium ſit, exequutionem contractus a pactorum verificatione eſſe repetendam, cum hæc habeantur velut partes, & membra conventionis, omnino conſequens eſt, ut iis corruentibus integra pariter conventio corruat.

XII. Ubi advertendum, quod etſi Regis aſſenſus requiratur, ſi refutans ſibi velit uſumfructum reſervare, adhuc tamen eo non erit opus, ſi in contractu dicatur *ex nunc pro tunc ſequuta morte*; hac enim clauſula accedente videntur potius a refutante fructus retenti, quam jus uſusfructus ab eo retineri; fructus enim inter allodialia recenſentur, unde abſque feudi detrimento de iis diſponere poſſumus; contra vero uſusfructus tamquam ſervitus ſi feudo imponatur, ejus conditionem violare, &, ut ajunt, alterare videtur, Rovitus *in pragm.* 4. *de feudis*, Anna *Conſilio* 39.: quocumque enim pacto refutatio contingat, ſcilicet vel fuerit aſſenſu munita, vel eo careat, omnino redigi debet in voluminibus Regiæ Cameræ, *pragm.* 20. *de feudis*.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De ſucceſſione Collateralium.

DEFICIENTIBUS deſcendentibus in feudo Collaterales, ſive tranſverſales admittuntur etiam ex LL. regni, ſiquidem hac in parte jus noſtrum a jure communi feudorum non diſcrepat. Illud tantum monendi hic ſumus cum in regno jure Francorum ſuccedatur, etiam in linea collaterali primogenitum ceteris præferri, & propterea decedente Titio e. g. feudi poſſeſſore ſine filiis, ſi plures habeat fratres, non ad omnes feudum pertinet, ſed ad ſecundogenitum. In eo quoque, ex communi Doctorum ſententia poſt Afflictum *in cit. conſt. ut de ſucceſſionib.*, differt jus commune a noſtro, quod etiam in feudo novo, ſcilicet acquiſito ab ipſo fratre, frater ſuccedat; idque colligitur ex verbis generalibus ejuſdem conſtitutionis, quibus aſſeritur fratrem fratri ſuccedere nulla facta mentione, ſive antiquum ſit feudum, ſive novum.

II. Verum cum hæc opinio poſſit eſſe contra mentem concedentis, ideo communiter iidem DD. aſſerunt eam obligare, quoties feudum conceſſum eſt ſimpliciter: nam ſi dictum fuerit pro ſe, & heredibus ex corpore deſcendentibus, tunc cum repugnent verba inveſtituræ, frater non poteſt fratri ſuccedere in feudo novo, ut monet idem Afflictus.

III. Quoties cum ſuperiori clauſula inveſtitura eſt concepta, in dubium quoque revocarunt antiqui DD. noſtri, an frater poſſit fratri ſuccedere in feudo antiquo: rationem dubitandi ex eo adducebant, quia, ut *ſupra* adnotavimus, in ſucceſſione feudali præter lineam conſiderari quoque debeat conjunctio, & gradus cum ultimo moriente, a quo cum frater non deſcendat, videbatur conſtare ſuperior clauſula, unde ad eam dubitationem tollendam lege Caroli II. Andegavenſis, quæ habetur in *cap. conſiderantes*, decretum fuit, in feudo antiquo fratrem fratri ſuccedere, quocumque modo inveſtitura ſit concepta. Et ſane inepta fuit DD. dubitatio, cum frater, licet non deſcendat ex corpore fratris ſui, deſcendit tamen ex corpore primi acquirentis, cui verba inveſtituræ fuerunt directa; nam reſpectu ultimi morientis ſufficit, ne ſucceſſor feudi ſit in gradu legitimo, prout ſine dubio eſt frater reſpectu alterius fratris.

IV. Verum cum in regno cœpiſſent paulatim feuda eſſe in commercio tamquam bona burgenſatica, ideo ex novis LL. cœperunt fratres ad feuda noviter per fratres acquiſita admitti quocumque modo, quibuſcumque clauſulis inveſtitura eſſet concepta; nam ſi feudum emtum fuerit a fiſco, ſive a privato ex voluntate Principis, hoc eſt cum aſſenſu, qui neceſſario requiritur in feudi alienatione, ut dicemus *infra*, videtur aliquo modo iniquum, ut decedens feudatarius ſine deſcendentibus illud amittere debeat, & per conſequens res, & pretium.

V. Hinc ex conſtitutione, ſive potius gratia conceſſa huic regno, ut refert

refert Camillus de Curte *reſolutionum feudalium lib.* 3., Philippi II. Hiſpaniarum Regis ſtatutum eſt, ut in feudis, quæ emuntur a Regia Curia, etiamſi inveſtitura eſſet pro ſe, & heredibus ex corpore, frater fratri ſuccedat, dummodo tempore contractus emtor filios & deſcendentes non habeat; nam ſecus cenſetur potius Princeps ea clauſula cogitare de filiis, & deſcendentibus, qui jam exiſtunt: at poſtmodum eadem gratia ampliata fuit etiam, ubi exiſtunt filii, & deinde decedunt: demum ejus ſucceſſor Philippus III. idem benigne conceſſit, ut feudum emtum eſſet a privatis cum regio aſſenſu, eo tantum caſu, quoties tempore celebrati contractus filii, & deſcendentes non exiſtunt.

VI. Verum licet nonnulli dubitaverint, an idem dicendum eſſet, quando feudum alicui donatum fuerit a Principe, tamen communiter aſſeritur aliter dicendum, ſiquidem verba ſuperiorum conſtitutionum ſunt expreſſa circa contractum emtionis, & venditionis, & non debent ad alias ſpecies produci: nam quod eſt contra rationem, non eſt producendum ad conſequentias, ait *l. quod contra D. de LL.*

VII. Poſt conceſſionem ſuperiorum gratiarum huic regno, ſæpius controverſia agitabatur in Regia Camera inter fiſcum & privatos circa earum interpretationem; ſiquidem fiſcus cenſebat fratrem intelligi debere ex utroque latere conjunctum, non autem uterinum, aut conſanguineum, quæ ſane interpretatio propria non erat, nam fratris nomine quoque comprehenduntur hi; verum ad omnem dubium removendum idem Philippus II. duplici libello a civitate, & Regno oblato favore privatorum reſpondit, ſcilicet ut uterinus, & conſanguineus comprehendatur, ſervata tamen ætatis prærogativa, ſcilicet primo loco natus præferatur alteri; nec refert, quod vinculum paternum videatur aliquo modo ſtrictum, utpote quod agnationem includat, ſiquidem conſanguineus frater fert cognomen familiæ ipſius feudatarii acquirentis feudum, non autem uterinus, nam hac in parte gradus tantum conſideratur, & prærogativa.

VIII. Verum conſtitutio Philippi II. rationem traxit ex veteri noſtrorum Doctorum ſententia in *d. conſtit. ut de ſucceſſionib.*, qua ſtatuebatur in feudo antiquo ſuccedere fratrem ſive utrinque conjunctum, ſive ex uno tantum latere. Sed quoniam hæc ſententia occaſionem dedit elegantiſſimæ diſputationi, quam ſcriptis mandavit clari nominis in hac civitate Advocatus Franciſcus de Andreis, ideo eam paucis explicemus.

IX. Superior conſtitutio *ut de ſucceſſionibus*, dum loquitur de Collateralium ſucceſſione, ſic ait: *ex collaterali linea venientes, ut fratres, ſive ex utroque parente, ſive ex altero tantum, & ſorores in capillis, excluſo etiam communi patre ſuperſtite, omnino ſuccedant, conjunctæ vero, & dotatæ a fratrum ſucceſſione repellantur*: illa quidem verba *ſive ex utroque parente, ſive ex altero tantum*, Marinus de Caramanico antiquus gloſſator ejuſdem conſtitutionis accepit, & interpretatus eſt de iis parentibus, ex quorum latere feudum pervenit ad eum, de cujus ſucceſſione agitur; e. g. ſi feudum ſit paternum, ſuccedat conſanguineus, licet natu minor: non autem uterinus natu major: e diverſo ad feudum maternum hic ſuccedet, excluſo illo; quæ interpretatio eſt ſane conſona juri

ri communi feudorum, ex quo frater admittitur ad feudum, ſi illud eſt communis patris, *tit. 1. de his qui feudum dare poſſunt* §. *cum vero Corradus*, & *tit. de ſucceſſ. fratr.* §. *his vero deficientibus*.

X. Eandem interpretationem ſequutus eſt Andreas de Iſernia *in comment. ad tit. de natura ſucceſſion. feud.*, quem commentarium ſcripſit tempore Caroli II. Andegavenſis: verum idem Auctor, quaſi ſuæ ſententiæ oblitus, contrarium omnino docuit tempore Regis Roberti *in notis ad Conſtitutionem de pœnis forjudicatorum*, ſcilicet fratres ſuccedere in feudo, licet illud non perveniſſet ex ejus linea, quaſi admitterentur non ratione primi acquirentis, ſed tantum ultimi morientis: & addit ſua ætate ſic vidiſſe judicatum in ea controverſia. Hinc invaluit duplex ſententia, una antiqui Gloſſatoris altera Andreæ de Iſernia, quam poſtremam ceteri DD. paſſim ſequuti ſunt ex verbis eiuſdem Andreæ, qui aſſeruit eam fuiſſe ſententiam peritorum, & propterea cenſebant quaſi ex conſuetudine eam interpretationem receptam; & utebantur *l. 3. cum ſequente D. de LL.*, ubi ſic ſtatuitur: *ſi de interpretatione legis quæratur, in primis inſpiciendum eſt, quo jure civitas retro in hujuſmodi caſibus uſa ſit, optima enim eſt legum interpres conſuetudo*. Verum citatus Franciſcus de Andreis multis rationibus probat errorem Iſerniæ, & propterea ex hiſtoriarum monumentis oſtendit interpretationem gloſſæ ſtatim receptam poſt promulgationem Conſtitutionis *ut de ſucceſſionibus*, cujus fuit auctor Fridericus II. anno 1221., & Marinus de Caramanico eadem ætate ſucceſſit: unde veriſimile eſt, cum tale dubium ortum eſſet, ſic fuiſſe communi ſententia probatum; nam magis credendum Auctori coævo de jure conſtitutionis, quam Andreæ de Iſernia, qui multos poſt annos ſcripſit.

XI. Probatur idipſum ex conſtitutione Honorii Pontificis edita anno 1285., quæ cum multa capita contineat, vulgo apud noſtros vocatur Capitula Papæ Honorii; ibi enim expreſſe ſtatuitur feudum fratris ad fratrem pervenire, ſi a communi parente ſit profectum. Et quamvis dicta Honorii conſtitutio ab eruditis ſcriptoribus cenſeatur nunquam in Regno ſervata; compoſita enim fuit poſt mortem Caroli I., dum Carolus II. ejus filius Hiſpaniis ſecutus eſſet, & Pontifex, ne publica res aliquod detrimenti caperet, adminiſtrationem gereret quaſi jure dominii directi, tamen hoc nihil facit: etenim conſtitutio affertur tantum ad probandam interpretationem tunc receptam conſtitutionis Friderici.

XII. Sed quænam fuerit cauſa, cur Andreas de Iſernia ex priori ſententia receſſit, non ſatis conſtat: fortaſſis voluit id ſtatuere contra fiſcum, propter odium adverſus Regem Robertum, a quo magno in pretio non fuit habitus; ſed e diverſo ad ſupremos Regni honores fuit evectus Bartholomæus de Capua illius æmulus. Animadvertit autem idem Franciſcus de Andreis; non ſemper obſervatam in Regno Iſerniæ opinionem, cum temporibus Reginæ Joannæ I. caſus accidiſſet, conſulti fuere celeberrimi ea ætate juris conſulti Baldus, & Angelus, & hic poſtremus, ut apparet *ex ejus conſilio* 110., contra Iſerniam reſpondit, licet antea dixiſſet ſe magni eum exiſtimare; at veritatem debere præponi. Concludendum igitur in feudo antiquo, fra-

ſratrem tunc ſuccedere fratri, cum deſcendit ex linea acquirentis, non minus ex jure communi feudorum, quam ex vera interpretatione conſtitutionis *ut de ſucceſſionibus*.

XIII. Cum igitur frater utrinque conjunctus, & conſanguineus in feudo paterno, & uterinus in materno ſuccedat, videamus modo, in Regno, ut diximus, ex jure Francorum primogenitum tantum admitti, an utrinque conjunctus natu minor excludat conſanguineum majorem in feudo paterno, & e diverſo uterinus in materno: dubium ex eo, quia duplex vinculum ſanguinis uno tantum fortius eſt, utrique autem conjuctus habet vinculum ex patre, & matre; igitur præferri debet ei, qui habet tantum vinculum ex alterutro eorum: accedit, quod jure Romano utrique conjunctus in ſucceſſione ab inteſtato excludit conjunctum ex uno latere, *auth. ceſſante Cod. de legitimis heredibus*, & *auth. itaque Cod. communia de ſucceſſ.*: quæ jura cum non inveniantur correcta in legibus feudorum, nulla ratio aſſignari poteſt, cur hoc ſervari non debeat.

XIV. His addi aliud exemplum *ex authentico de heredib. ab inteſtato venientibus* §. *ſi autem*, ubi ſtatuitur, filium fratris utrinque conjuncto ex uno tantum latere, & propterea infertur duplex vinculum conjunctionis magis conſiderari, quam gradum; ſiquidem frater ex uno latere proximior eſt, quam nepos, & tamen huic præfertur: igitur in ſpecie noſtra magis oſtendi debet duplex vinculum ſanguinis, quam primogenitura.

XV. Verum his argumentis non obſtantibus contraria ſententia communiter probatur favore fratris primogeniti, licet conjuncti ex uno latere, modo ſit de linea, unde feudum provenit: & primo ſi conſideremus commune feudorum jus, ex illo enim cum attendi debeat agnatio, vinculum ex linea matris reſpectu feudi paterni nihil operatur, & propterea ſi frater conſanguineus eſt primogenitus, excludere debet utrinque conjunctum minorem natu; nam licet hic defuncto ſit quoque conjunctus ex linea matris, tamen hæc conjunctio nullum jus tribuit. Secundo id probatur *ex conſuetudine hujus Civitatis ſi quis vel ſi qua*, ubi cavetur decedente aliquo ſine liberis, in bonis provenientibus ex linea patris, ut ſuccedant proximiores ex eadem linea, in bonis maternis proximiores ex linea matris; ſed ſi extant fratres utrinque conjuncti, admittuntur ſimul in bonis paternis cum proximioribus ex eadem linea, & in maternis cum proximioribus ex parte matris. Igitur ſi in hac conſuetudine duplex vinculum conjunctionis nihil operatur reſpectu bonorum paternorum, vel maternorum, eodem modo in ſpecie, quam tractamus, nihil operari debet; propterea jus primogenituræ obſervandum. Neque obſtant ſuperiora argumenta in contrarium adducta, nam in bonis burgenſaticis jure Romano circa ſucceſſionem ab inteſtato conſideratur tantum conjunctio ſanguinis reſpectu ultimi morientis, non autem primi acquirentis, ut in feudo, & propterea cum utrinque conjunctis ſit duplici vinculo proximus, debet utique ceteris præferri.

XVI. Ex his illud etiam ſequitur, ſororem utrinque conjunctam in feudo paterno excludi a fratre conſanguineo, licet illa ſit primogenita; & ratio eſt in promtu, quia cum feminæ, ut *ſupra* diximus, non admittantur in Regno, niſi maſculis defi-

Digitized by Google

deficientibus,perſpicuum eſt neque duplex vinculum,neque primogenituram quidquam operari; ſufficit enim, quod maſculus deſcendat ex corpore primi acquirentis, quemadmodum eadem ſoror utrinque conjuncta, & primogenita excluderetur a fratre uterino in feudo materno.

XVII. Videamus demum ad quem uſque gradum ſucceſſio ad feudum in linea collaterali extendatur. Et certum eſt *cum d. conſtit. ut de ſucceſſionibus* extendi uſque ad tertium gradum, ut frater patruelis, qui eſt in quarto gradu, (circa ſucceſſionem enim computatio graduum non fit ex jure Canonico, ſed civili) non ſuccedat. Verum ex gratiis conceſſis huic Civitati, & Regno ab Hiſpanis Regibus extenditur ſucceſſio uſque ad quartum gradum, modo qui ſunt in quarto gradu, deſcendent per lineam maſculinam a primo acquirente.

XVIII. Illud autem animadvertendum, quod in hoc quarto gradu non datur repræſentatio, ſive ſubingreſſio, quæ tantum in filiis fratrum locum habet, & propterea refert deciſum in Sacro Conſilio Rovitus *in pragm.* 11. *de feudis*, patruum, qui eſt in tertio gradu ultimo morienti, excludere patruelem; ſive filium alterius patrui prædefuncti, etiamſi hic fuiſſet primogenitus, adeoque ſi in vivis eſſet, admitteretur ad feudum; quod ſane etiam jure Romano eſt ſtatutum, ex quo ultra fratrum filios non datur repræſentatio; nam ſecus in ſucceſſione ab inteſtato gradus prærogativa eſſet inutilis, ſi illa competeret uſque in infinitum.

XIX. Ex his non levis poteſt eſſe dubitatio in pluribus patruelibus, qui petant feudi ſucceſſionem, quiſnam ipſorum ſit præferendus, cum non detur in iis repræſentatio; nam ſi hæc daretur, res eſſet expedita; ſuccederet enim natus ex patruo primogenito: cum autem ſuccedant ex propria perſona, dicendum utique eſt admitti majorem natu, & propterea patruelis ex patruo tertiogenito, ſi eſt major annis, excludit alium patruelem ex ſecundogenito, qui ſit minor ætate; quemadmodum *ſupra* diximus in feudo novo, cum ſuccedit conſanguineus, & nemo inter eos potior eſt ratione conſanguinitatis, præferri debet major natu.

XX. Poſtremo quando ſubingreſſioni, ſive repræſentationi eſt locus, quæſitum eſt, ſi concurrat maſculus ex femina, & femina ex maſculo, quiſnam ſit præferendus. Sumamus hoc exemplum; defuncto Titio feudatario concurrit ad feudum ex ſorore præmortua nepos, & ex fratre etiam præmortuo neptis, cujus potior ratio habenda erit? communiter, ut videre eſt apud Caſtillum *lib.* 3. *quæſt. jur. cap.* 19., aſſerunt Doctores qualitatem maſculi vincere agnationem, unde præferendum cenſent nepotem ex femina, quia ex generali regula, ubi adeſt maſculus excluditur femina: nec refert, quod femina repræſentet patrem, ſiquidem repræſentare poteſt gradum, unde excluderet patruum defuncti, aut patruelem remotiorem, non autem repræſentare poteſt qualitatem maſculi: His adde quod repræſentatio, cum ſit quædam fictio juris, non debet duplicem effectum producere, ſcilicet & gradum, & qualitatem perſonæ, quod & *alibi* adnotavimus.

XXI. Hoc ſane probarunt iidem DD. exemplo ſucceſſionis in Regno Luſitaniæ, ubi defuncto Alfonſo Car-

Digitized by Google

Cardinali Infante; qui ob defectum alterius ſucceſſoris maſculi ſpecialiter fuit ad Regnum admiſſus: petens ſucceſſionem Philippus II. Rex Hiſpaniarum, qui erat filius Iſabellæ ſororis ejuſdem Cardinalis, & Catharina uxor Ducis Bragantiæ filia Gerardi fratris præmortui illius, Philippus fuit ad Regnum admiſſus, licet maſculus ex femina, excluſa Catharina, quæ nata erat ex maſculo: & excluſa fuit non ob aliam rationem, niſi quod eſſet femina; Philippus autem utpote maſculus, cenſebatur potior.

* XXII. Quæ de Collateralium ſucceſſione hic ſubnectuntur, licet ab Auctore in *hoc capite* quodammodo pertractata videantur, attamen quia accuratam requirebant graduum diſtinctionem, & uberiorem gratiarum, & privilegiorum explanationem, quæ in hac ſucceſſione a noſtris Regibus fuere conceſſa, ideo majori claritate hic proponere, multum utilitatis ſtudioſæ afferet juventuti: neque pigeat eadem repetita perlegere; id etenim factum, ut gratiæ, & privilegia ſuis quibuſque locis eſſent appoſita. Igitur in hoc ſuccedentium ordine non modo graduum, ſed linearum quoque ratio eſt attendenda: gradus alii proximiores, remotiores alii dicuntur: in proximiori ſunt fratres, & ſorores, de quibus diſpar eſt ratio, nam nonnulli ex utroque latere defuncto adhærent, atque germani dicuntur; ceteri ex uno tantum, uti ſunt conſanguinei, & uterini; de omnibus, & primo de Germanis agendum. Itaque Barone inteſtato defuncto, in cujus hereditate ſit feudum antiquum, dubio procul deficientibus filiis ad ejus ſucceſſionem vocantur fratres, & ſorores cum prærogativa ſexus, & ætatis, ſive ex utroque, ſive ex uno latere adnectantur defuncto: *conſtit. Regni ut de ſucceſſionibus*, & *cap. Regni conſiderantes*, ubi a Carolo II. Andegavenſi protracta fuit ſucceſſio ad eos quoque fratres, & ſorores, qui non eſſent ex eo latere conjuncti defuncto, ex quo ei feudum obvenerit, non obſtante clauſula *ex corpore*, quæ fuerit inveſtituræ: verum hujus Capituli diſpoſitio ſicuti de feudis antiquis fuit lata, ita controverſiæ locum dedit, utrum ſit porrigenda pariter ad feuda nova, vide Georgium *allegat.* 21., & Marcianum *tomo* 2. *diſputat.* 89.

XXIII. Præter hæc jura acceſſit conſtitutio Reginæ Joannæ II. de qua in *pragm.* 1. *de feudis*, ubi hæc habentur: *In viventibus jure Francorum ſoror maritata de bonis fratris ab ejus ſucceſſione excluditur, ſecus ſi de bonis patris; in viventibus jure Longobardorum ſufficit, quod ſit dotata a communi patre, ut excludatur.* Verum a Philippo II. Rege cautum, ut fratres ſuccedere potuiſſent non modo in feudis antiquis, ſed etiam novis ſub antiquorum charactere primo poſſeſſori quæſitis, *pragm.* 18. *de feudis*, ubi directe ſancitum eſt, ut feudis novis quæ obveniunt a privatis, fratres, & ſorores ſuccedant, etiamſi contineant clauſulam pro te, & heredibus ex tuo Corpore legitime deſcendentibus, ſi tamen tempore, quo ſignantur Tabulæ, contrahentes careant filiis, & deſcendentibus; quo privilegio ſuppletum eſt ei, quod deerat *conſtitutioni ut de ſucceſſionibus*.

XXIV. Hæc autem exceptio minime inſeri conſueverunt in feudis emtis a Regia Curia, ut major tranſverſalibus, & facilior aditus pateret ad feuda mortuo primo acquirente nanciſcenda; an vero deleta eſſet in feu-

feudis a privato venditis, dubitatum? Ideo inſtantibus Baronibus ab eodem Rege Philippo II. in *pragm.* 22., & 25. *de feudis* proviſum non modo, ut in feudis novis emtis a privato prorogetur gratia fratribus, & ſororibus elargita ſuccedendi in eis, ſed pariter expreſſe ſancitum eſt, ut in ſucceſſione fratruum, & ſororum in feudis novis clauſula appoſita in *pragm.* 18., ſcilicet dummodo tempore emtionis non habeant filios, nec deſcendentes, quæ jam deleta intelligebatur in contractibus initis cum Regia Curia, ita pariter intelligatur ablata a contractibus inter privatos conventis.

XXV. Rurſus ad explicationem *capituli conſiderantes*, quo fratres, & ſorores admiſſi fuerunt ad ſucceſſionem feudi antiqui non obſtante clauſula *ex corpore*: ſupplicationes porrectæ fuerunt Catholico Regi Philippo III. ut idem procederet in feudis novis, ab eoque reſponſum: *Sacra Majeſtas mandat ſervari id, quod in gratia Parlamenti anni præteriti* 1617. *proviſum fuit*; *tomo* 2. *cap.* 7. *fol.* 113.: deque eadem re porrecta ſupplicatione Regi Philippo IV. ita reſponſum *Sacra Majeſtas re mature conſiderata prædictæ petitioni tam fidelium Vaſſallorum ſatisfaciendum curabit*; *tomo* 2. *privilegiorum fol.* 127.: Denique clavum fixit Carolus VI. Imperator, quo regnante fuit anno 1720. Baronum petitioni plene, & in omnibus ſatisfactum; ejus namque reſcripto declaratum eſt, ut gratiæ omnes, cum quibus fratres utrinque conjuncti, vel ex uno latere: eorumque filii admiſſi fuere ad ſuccedendum in feudis novis, non obſtante inveſtitura cum clauſula *pro ſe, & heredibus ex corpore* locum habeat non modo in feudis emtis a Regia Curia, aut privatis; ſed pariter in feudis ſola largitione, & Principis munificentia obtentis, vel a privato quovis legitime donatis: & denique hujus privilegii effectus non dicatur pro prima vice extinctus ſed toties locum habeat, quoties (vide Grimaldi *tomo* 2. *pag.* 268.) caſus evenerit, *tomo* 2. *privilegiorum Regni in fine*.

XXVI. Et ne a ſecundo gradu diſcedamus, a germanis ad fratres, qui ex uno latere adnectuntur Baroni, tranſeamus oportet, uti ſunt conſanguinei, & uterini: verum de uterinis potius erit ſermo habendus, de quibus major eſt difficultas, utpote qui non ſemper a ſtipite acquirentis procedunt: interim, ut ordine procedamus, opus erit in uterinis ſecernere antiqua feuda a novis, vetuſtas leges a recentioribus; & primum de iis agere, qui ſoli ſuccedunt, tum de iis, qui in concurſu aliorum, ſive ejuſdem, ſive ulterioris gradus, ſint admittendi. Et primo ſi de feudo antiquo loqui velimus, procul dubio patet fuiſſe a Friderico II. ad ſucceſſionem admiſſos uterinos, *conſtit. Regni ut ſucceſſionibus*, ut legitur, *ex collaterali linea venientes, ut fratres ſive ex utroque parente, ſive ex altero tantum, & ſorores in capillo, excluſo tamen communi patre ſuperſtite, ſuccedant*; quibus verbis, nempe *ſive utroque parente, ſive ex altero tantum*, voluit Imperator generaliter admittere non modo Germanos, verum quoque uterinos, ut explicavit Napodanus *in conſuetud. ſed ſi morienti*.

XXVII. Id vero a nonnullis fuit acceptum, ſi uterinus fuerit de corpore primi acquirentis, nempe ab eo ſtipite proveniat, ex quo feudum obvenit defuncto, ita Marinus

Digitized by Google

de Caramanico in *d. conſtit.*, eo magis hæc ſententia vim habuit, ex quo ſub Carolo I. Andegavenſi invecta fuit formula inveſtituræ *pro ſe, ſuiſque ex corpore legitime deſcendentibus* ; ex quo inferri potuit, quod ſi quandoque uterinus de corpore acquirentis non eſſet, ei jus ſuccedendi minime pateret ; contrarium vero ab eximio Doctorum agmine propugnatum legitur, inter quos primas obtinet Andreas de Iſernia in *d. conſtit.*, ubi docuit admittendum eſſe uterinum, etſi is non fuerit de corpore primi acquirentis ; atque ita judicatum fuit ſub Carolo I. Andegavenſi in M. C. in gradu appellationis, atque ita a Prudentioribus Regni receptum ; quæ ſententia magnum inter Scriptores excitavit incendium, adverſus quam acerrime ſcripſit Franciſcus de Andrea, de quo *infra* : interim juxta ſententiam Iſerniæ omnes pene forenſes militant pro uterino, etiam ſi non ſit de corpore primi acquirentis, ob textum in *cap. Regni conſiderantes*, ubi Carolus II. Andegavenſis ob formulam invectam ab ejus Patre Carolo I. *ex corpore* : ſciens pravas a nonnullis fuiſſe interpretationes invectas decrevit eam non obſtare fratribus, & ſororibus, ſervata ſexus, & primogenituræ prærogativa, qui morienti ſuccedere valeant: & quoniam præfatum capitulum de feudis antiquis loqui videbatur, intelligi nequibat de fratribus Germanis, ſed tantum de conſanguineis, & uterinis juxta doctrinam Marini Freccia *de ſubfeudis lib. 3. fol.* 304., Bartholomæi de Capua in *d. cap. conſiderantes*, & Joannis Baptiſtæ Bilotta *in concluſione feudali* 25. Horum Doctorum veſtigia ſequi ſtuduerunt ceteri rerum feudalium ſcriptores, docentes, uterinos, etiamſi non ſint de corpore, admitti poſſe ad feudi antiqui ſucceſſionem, ut Fabius de Anna *conſ.* 125., Georgius *allegat.* 21., Amatus *conſil.* 98., Marcianus *diſput.* 89. *tomo* 2.

XXVIII. Quod vero pertinet ad feuda nova adeſt Privilegium Philippi II. in *pragm. 29. de feudis*, cujus hæc eſt Synopſis : *Gratia, quod in feudis novis conceſſis pro ſe, & heredibus ex corpore, ſuccedant tam fratres, & ſorores eorum, quam filii utriuſque ſexus, declaratur comprehendere etiam fratres, & ſorores uterinas, & eorum filios utriuſque ſexus*: Et quoniam a Fiſci Patronis Regiæ Cameræ in cauſis occurrentibus hoc privilegium ea interpretatione veſtiebatur, ut eſſet intelligendum de uterino concurrente cum Fiſco, non autem cum alio Agnato remotiore quidem, ſed de corpore morientis: hinc a Baronibus Philippo III. Regi ſupplicatio porrecta, qua petitum, ut uterini ad feudum admitterentur non modo in excluſione Fiſci, ſed quotieſcumque deficeret perſona in gradu ſucceſſibili a primo acquirente deſcendens, qui a Principe ita reſponſum : *Placet Sacræ Regiæ, & Catholicæ Majeſtati, dummodo virtute conceſſionis, & gratiæ hujuſmodi, non intelligatur novum jus ullum acquiſitum per fratres uterinos, ſed penes eoſdem remaneat jus, quod rigore capitulorum, gratiarum ac legum dicti Regni habuerint*; *tomo 2. privileg. Regni fol.* 81. Eadem ſupplicatio Philippo IV. Regi fuit porrecta exemplo ejus, quod anno 1557. a Carolo V. fuit pro Regno Siciliæ ultra farum decretum, ut nempe uterinis fratribus fieret locus deficiente perſona ſucceſſibili, quæ a primo acquirente deſcendat ; atque

Digitized by Google

atque hac ſupplicatione fuit petitum, ut hæc Succeſſio fuiſſet ei exæquuta, quæ pro Regno Siciliæ fuerat conſtituta, atque a Rege reſponſum, *Placet Sacræ Regiæ, & Catholicæ Majeſtati*, *Tomo* 2. *Privilegiorum Regni fol.* 92.

XXIX. Recentiores nonnulli, qui ſupra ceteros ſapiunt, & uterinis plus æquo favere ſatagunt, præfatum Catholici Regis reſcriptum non eſſe attendendum contendunt, eo quod in omnibus pragmaticarum Regni editionibus minime legatur, ea ratione, quia nunquam in Regno noſtro receptum, neque ad uſum revocatum eſſe ſciamus; etenim ſupplicatio a Baronibus Regi porrecta fuit obreptitia, cum in ea ſiluerunt quidquid legibus, & privilegiis fuerat in Regno receptum; neque attendendam eſſe rationem judicandi in Magna Regia Curia Panormi, quæ uterinos ad ſucceſſionem vocabat deficiente perſona ſucceſſibili, quæ a primo acquirente deſcenderet; etenim mos ille judicandi eo in Regno invaluit ex vetuſta quadam lege Regis Jacobi Aragonenſis, a quo ita ibidem loci cautum: nec denique obſtare privilegium Caroli V., eo quod in Regno tantum Siciliæ ultra farum latum fuit, non vero in Regno Neapolitano; ex quibus inferunt præfatum Privilegium apud nos nullius eſſe momenti, neque ullo pacto attendendum.

XXX. Quidvis de hoc reſcripto dicatur, etiamſi nullum eſſe velimus, tamquam per fraudem, & dolum a Baronibus extortum; crevit tamen hac in re difficultas, ex quo Fiſci Patroni Regiæ Cameræ videntes a Baronibus maxime extolli reſcriptum Philippi II., quo fratres uterini erant ad feudi ſucceſſionem vocati, illud hoc pacto intelligendum eſſe reſponderunt, ſi agatur de feudo novo, de quo tantummodo fuerat conceptum, ſecus autem de antiquo. Reponebant Barones, & maxime qui pro uterino militabant, in feudis antiquis non fuiſſe opus nova Regis munificentia, cum id jam fuerat in *conſtitutione ut de ſucceſſionibus*, *in cap. conſiderantes* decretum ſed pro parte Patronorum Fiſci dicebatur has leges novo Philippi II. oraculo fuiſſe correctas, unde fuit opus novo recurſu ad Principem, cui preces porrectæ, quibus petitum, ut gratia obtenta a Philippo II. pro uterinis, & conſanguineis procederet etiam in feudis antiquis, etiamſi ipſi de ſtipite non fuerint, & inveſtitura, eſſet concepta pro ſe, & heredibus ex corpore; quibus a Philippo IV. Rege hoc pacto reſponſum: *Sacra Regia, & Catholica Majeſtas viſa informatione ſuper hoc jam petita Illuſtri Proregi Regni Neapolitani, & re mature conſiderata, quod magis convenire videbitur, providebit*; *tomo* 2. *privilegiorum cap.* 145.

XXXI. Hinc eveniebat, ut ubi ſimiles caſus evenirent, res tranſactione, cum Regio Fiſco inita finiebatur, ut actum in ſucceſſione Comitatus Sereni, Marchionatus Gruttulæ, & Ducatus Eboli; adhuc tamen in Comitiis Generalibus Regni habitis anno 1662. denuo a Baronibus eidem Regi porrecta ſupplicatio, ut decerneret uterinos ad antiqua feuda fore admittendos, etiamſi de ſtipite non fuerint; atque hæc ſupplicatio fuit a præfato Principe Supremo Italiæ Conſilio remiſſa pro conſultatione, a quo reſponſum prodiit: *hujus articuli deciſionem veſtra Regia Majeſtate jubente proxime expediendam conſilium*

ſata-

Digitized by Google

ſataget; *ſed ſi Regnum id ex gratia quæſivit, cum tamen de veſtra Majeſtate benemereatur, æquum erit, ſi concedatur eidem*; *eo magis cum id raro eveniens intereſſe Fiſci nullius erit momenti*; *tomo* 2. *privilegiorum Regni fol.* 161.

XXXII. Rurſus Carolo II. Regnante ſub finem ſæculi elapſi præ ceteris, quæ Civitas Neapolitana, & Regnum ab eodem Rege ſibi tribuendum petiit, id *num.* 7. fuit rogatum ut in feudis antiquis fratrum, & ſororum ſuccedere potuiſſent etiam uterini, & conſanguinei tantum, eorumque deſcendentes uſque ad ſeptimum gradum incluſive, etiamſi non ſint de ſtipite primi acquirentis, non obſtante clauſula ex Corpore; & quod in feudis novis indiſtincte ſuccedere debeant fratres uterini, & conſanguinei reſpective, etiam ex uno latere conjuncti, hac lege, ut præferantur conſanguinei uterini, etiamſi primogeniti non fuerint; ſed præter expectationem Baronum nihil hac in re Principis oraculum decrevit, ita namque reſcripſit Rex; *Sacræ Majeſtati conſideranti hanc rem fuiſſe remiſſam ad terminos Juſtitiæ, ut ea judicent Tribunalia adjuncta illius Regni, viſum fuit conveniens eorum expectare determinationem, ut ea viſa convenienter provideret, quod eidem civitati ſignificari*.

XXXIII. Sed cauſa Deo favente ſub Carolo VI. Imperatore anno 1720. finita eſt, ut alias actum, ab eoque ſancitum, ut gratiæ, quibus fratres utrinque conjuncti, aut ex uno latere fuerunt admiſſi ad ſucceſſionem in feudis novis, locum habeant non ſolum in feudis emtis a Regia Curia, vel a particularibus, ſed etiam in feudis tam per Regiam Curiam conceſſis in remunerationem ſervitiorum, quam acquiſitis titulo donationis a quibuſcumque privatis: huc uſque de feudis novis ad quoſcumque tranſverſales deferendis; inde proſequitur: & *quod effectus dictarum gratiarum non intelligantur in prima vice conſumti, ac proinde eædem gratiæ, quotieſcumque caſus contigerit, exequutioni demandentur*: en verba, quibus etiam in antiquis feudis tranſverſales, & maxime uterinos admittendos eſſe decernitur.

XXXIV. Supereſt modo una, vel altera quæſtio definienda: quarum prima eſt, utrum ſuperſtitibus morienti fratribus ex diverſo latere attendenda ſit potius eorumdem primogenitura, an vero duplicitas vinculi? Scilicet poſito, quod Germanus ſuperſtes ſit ſecundogenitus, & uterinus, vel conſanguineus ſit primogenitus, uter eorum ſit admittendus? In hac porro controverſia, in qua innumeri ſcripſere apud Molfeſium *parte* 4. *de ſucceſſionibus ab inteſtato quæſt.* 40., duplex fuit Doctorum falanx: in priori emicuit Conſiliarius de Georgio *in allegat.* 21., ubi acerrime pro fratre utrinque conjuncto pugnavit; ſed ex ejus allegatione nulla inde ſuborta deciſio, eo quod ea fuit inter litigantes tranſactione ſopita; adhuc tamen pro primogenito ex uno tantum latere conjuncto deciſum fuiſſe teſtatur Minadous *in dec.* 36.; eademque ratione ſub Alfonſo I. decretum fuiſſe refert Montanus in *cap. Imperialem* §. *præterea Ducatus*; idem calcavit iter Rovitus *in commentario ad pragm.* 11. *de feudis*; atque hi omnes in hanc ſententiam deſcendere viſi ſunt, moti ab eximia primogenituræ vi, cui non obſtat vinculum duplicis conjunctionis a germano exhibitæ, vel adgnatio, quæ conſanguineorum propria eſt, ſi omnes hi fue-

Digitized by Google

fuerint ætate minores.

XXXV. Non deſunt vero recentiores noſtrorum Senatuum deciſiones, quæ præfatis opponuntur; etenim exorta controverſia inter Marcum Antonium Galeotam, & Pompeium Thomacellium pro ſucceſſione Marchionatus Cluſani, prælatio tributa fuit Pompejo Thomacellio, eo quod defuncto ex utroque latere adnectebatur, excluſo Galeota, quamvis fratre primogenito, eo quod erat uterinus defuncto; ea ratione, quia in feudis, quæ reguntur jure Francorum, non tantum attendenda eſt primogenitura, quam ligamen a ſtipite protractum, Regens Tapia *dec.* 2. *S. C.*; ex quo infertur, ut ſi uterinus concurrat cum conſanguineo ad ſucceſſionem feudi Paterni, ſemper erit conſanguineus, etſi ſecundogenitus, uterino præferendus, ita Flaminius Monachus *in additione ad Minadois d. dec. 36.* in hæc verba: *In feudis, in quibus vivitur jure Francorum, nempe ſexus, & ætatis prærogativa ſervata, ſi frater decedat ſuperſtite uterino natu majore, & fratre conſanguineo natu minore, frater conſanguineus, etiam natu minor, ſuccedat in feudis provenientibus a Patre, & ita deciſum refert Intrigliolus.*

XXXVI. Similis controverſia fuit ad examen revocata a clariſſimo viro Franciſco de Andreis *in celebri diſputatione, an fratres in feudo noſtri Regni ſuccedant cap.* 3. §. 4., ubi perpendit notiſſimum judicium actum pro ſucceſſione ſtatus Larini; Baro inſtituerat in feudo heredem filium ſecundogenitum ei ex ſecundis nuptiis obortum ex pacto inito cum Regia Curia in feudi emtione, ut ad ejus ſucceſſionem filium, quem vellet, vocare potuiſſet; hoc filio ſine filiis defuncto acerrima fuit contentio inter ejus conſanguineum prioris Matrimonii, & fratrem Germanum ſecundogenitum, deberetur ſucceſſio, & pro conſanguineo primogenito ſcripſit Præſes Urſinus *in opere de ſucceſſione feudorum parte* 2. *quæſt.* 3. *articulo* 1.: ea definita non fuit; etenim Regens Tapia teſtatur *d. deciſ.* 2. *S. C.*, ab hoc Senatu decretum fuiſſe, ut reſcribatur Sacræ Regiæ Majeſtati pro ratificatione pacti in venditione appoſiti pro facultate nominandi ſucceſſorem, & interim frater Germanus ſecundogenitus manuteneatur in poſſeſſione feudi; a quo decreto propoſita per primogenitum conſanguineum reclamatione, plurima fuerunt hinc inde perpenſa: ſed ea fuit perpetuo ſilentio ſepulta.

XXXVII. In eadem cauſa fuerunt a Conſiliario de Andreis ad examen revocatæ DD. ſententiæ, & præ ceteris Andreæ de Iſernia, Ardizonis, Roviti, Georgii, & Loffredi; ac demum iis adhæret, qui pro ſecundogenito utrinque conjuncto ſteterunt in excluſionem primogeniti ex uno latere conjuncti defuncto; aitque ita fuiſſe judicatum pariter ex jure tranſmiſſo pro ſorore ſecundogenita utrinque conjuncta defuncto contra filium ſororis primogenitæ, quæ defuncto ex uno tantum latere jungebatur: non negaverim vero præfatum Scriptorem *in §. ſequenti* hanc judicandi rationem non plene approbaſſe.

XXXVIII. Altera quæſtio æque ſalebroſa eſt, utrum ad inteſtatam feudi ſucceſſionem admitti valeat defuncti frater uterinus, an vero patruus ejuſdem? Hæc quæſtio non tam facile decidi valet; etenim formula inveſtituræ pro ſe, ſuiſque ex corpore ab Aula receſſit, unde nihil obſtat iis, qui non ſunt de ſtipite acquiren-

Digitized by Google

rentis: itaque primo obtutu eſſet pro uterinis definienda, primo quia diſtat uterinus a defunĉto ſecundo gradu, patruus vero tertio; itaque tamquam proximior: ſecundo quia uterini ab uſque Friderici ævo ad feudi ſucceſſionem admiſſi fuere, patrui vero primum a Carolo V. ſucceſſores in feudis evaſere, quia tamquam in ſuccedendo vetuſtiores patruis videntur præferri: tertio quia hodie feuda in Regno non habentur tamquam ex paĉto, & providentia, ſed potius hereditaria evaſere, itaque in iis non agnatio, vel duplicitas vinculi attendi debet, ſed potius gradus proximitas, quæ legitimis competit heredibus, eſt inſpicienda. Quarto demum quia concurrente ad legitimam feudi ſucceſſionem ſorore defunĉti cum patruo, hic ab ea tanquam proximiore excluditur, ſed ſi cum eadem ſorore concurrat uterinus, hic pariter eam excludit ob ſexus prærogativam, etiamſi ea eſſet defunĉto Agnata; itaque eo magis hic patruum defunĉti ab ejus ſucceſſione repellit, ita Bartholomæus Camerarius *in cap. 1. de feudi ſucceſſione*, Angelus Piſanelli, Antonius Villani, aliique.

XXXIX. Adverſus præfatos Scriptores Conſiliarius Marcianus, & Regens de Marinis; & primo citatus Conſiliarius *in diſputat. 89. & ſequente*, ſcribens anno 1635. pro Principe Venuſii contra Regium Fiſcum propugnavit ſententiam patruo faventem adverſus fratrem uterinum ob textum in *cap. ſi aliquem Regis Jacobi de Aragonia*, quod capitulum pro generali lege in Siciliæ ultra farum Regno fuit receptum, cujus exemplo docuit etiam in Regno noſtro in eiſdem cauſis eſſe definiendum. maxime inſpeĉta gratia Philippi III., & IV. de qua *ſupra*, cujus vigore admiſſi fuere ad feuda uterini, deficiente perſona ſucceſſibili, quæ a primo acquirente deſcendat, ut in feudo Paterno eſſet Patruus; atque inſpeĉto tenore hujus gratiæ prodiit in Sicilia lex capitularis, juxta quam id fuit eo in Regno decretum; idem docuit Regens de Marinis 1. *reſolut. cap. 126.*, ubi retulit ita fuiſſe deciſum in Regia Camera in ſucceſſione feudi S. Donati pro Amita defunĉti excluſo ejus uterino.

XL. Et revera, ni velit ceu ſubreptitium haberi privilegium Philippi III., dicendum in concurſu uterini cum patruo potius eſſe patruo favendum, quam uterino, ne dicamus ineptas fuiſſe deciſiones tam a Conſiliario Marciano, quam a Regente de Marinis allatas: non enim temeritatis notam effugere valet, qui aſſerere audeat, Regiæ Cameræ Summariæ Tribunal ex tot integerrimis, atque clariſſimis Juriſconſultis conflatum, ſemel atque iterum fuiſſe in eadem cauſa deceptum: atque hoc ſenatu auĉtore, cujus deciſiones quibuſcumque Doĉtorum auĉtoritatibus præſtant, dicendum eſt in Regno, maxime ſi de feudo agatur Paterno, patruum defunĉti eſſe ejuſdem uterino fratri præferendum.

XLI. A ſecundo collateralium gradu pergamus ad tertium, ubi primum de patruis, amitis, & filiis fratrum agendum eſt, ſi Baroni ſuperſint, qui ſine filiis, fratribus, vel ſororibus decedat: & quemadmodum deficiente ſecundo gradu tertius eſt admittendus, ita cum tertio gradu diſtent patruus, ac filius fratris præmortui, videndum, cuinam prælatio debeatur, maxime cum jure Francorum feuda ſint individua; ſi enim hæc ſucceſſio regenda eſſet jure communi, in antiquis feudis eſſet

Digitized by Google

eſſet uterque admittendus, cum æque diſtent a moriente, *cap. 2. de natura ſucceſſionis feudi*; etenim ubi feuda ſunt dividua, pares in gradibus erunt quoque pares in ſucceſſionibus.

XLII. Tota igitur quæſtio vertitur in Regno, ubi feuda ſunt individua, quonam pacto hæc ſucceſſio juxta terminos Fridericianæ conſtitutionis ſit regenda? Et quoniam in præfata conſtitutione nulla de patruis mentio acta, hinc jure dubitatio exorta, num eſſent admittendi: hac de re quibuſdam fuit ſuaſum omnino patruos ex vi conſtitutionis excludendos fore; etſi namque ibidem Fridericus tertium quoque meminiſſet gradum, adhuc tamen de eo ſermonem habens filios fratrum expreſſit, ceteros tacuit: hinc quoniam patruos, & amitas prætermiſit, excluſiſſe videtur.

XLIII. Contra vero alii, & rectius ſenſere, adhuc vi Conſtitutionis admiſſos an feudalem ſucceſſionem Patruos, & Amitas non ex verbis, ſed ex mente legis; ejuſque benigna interpretatione, ſed hodie lis finita eſt; etenim anno 1532., ne in poſterum hac de re controverſia oriretur in comitiis generalibus Regni Carolo V. Imperatori a Baronibus Regni ſupplicatio porrecta pro hujuſce conſtitutionis explicatione, ut *in pragm. 6. de feudis*; ubi reſcriptum ab eodem Principe legitur, ut patrui ſuccedere potuiſſent in feudis antiquis, non obſtante clauſula inveſtituræ adjecta pro heredibus ex corpore.

XLIV. Hoc itaque reſcripto pene obtento en ſuborta lis pro ſucceſſione in Comitatu Oppidi inter Regium Fiſcum, & Amitam defuncti; hæc enim uti proximior ad feudum, admitti poſtulabat: contra vero Fiſcus pro ejus excluſione inſtabat, eo quod in eodem privilegio de Patruis tantum, non vero de Amitis mentio facta; hinc novo recurſu habito ad eundem Carolum V. anno 1570. Imperator ſanxit, ut in omnibus caſibus, in quibus Patrui ad feudi ſucceſſionem admitti valeant, cenſeantur etiam admiſſæ Amitæ, *pragm. 2. de feudis*; an vero hæc Patrui, & Amitæ admiſſio tantummodo in feudis antiquis procedat, de quibus nulla dubitatio, an pariter in novis, affirmandum videtur ex verbis porrectæ ſupplicationis, in qua etiam de feudis novis ratio fuit habita; ſed veroſimilior eſt ſententia negans, de qua Rovitus *dec. 94.*, ea ratione, nam ſi quoque de feudis novis eſſet Principis oraculum intelligendum, potior eſſet conditio patrui, quam fratris; etenim frater, etſi ſecundo gradu diſtet a defuncto, adhuc tamen olim a feudi novi ſucceſſione excludebatur: itaque ſi patruus etiam eſſet in feudo novo admittendus plus juris in hac ſucceſſione haberet, quam frater, quod ſane magni momenti abſurdum viſum fuit etiam Regenti Galeotæ *in Reſponſo Fiſcali 3. & 4.*

XLV. His poſitis quæſtio eſt, an neptis nata ex fratre primogenito excludat filium maſculi fratris ſecundogeniti? Hac in re ſententia communiter recepta eſt, a muliere nata a fratre primogenito excludi maſculum a ſecundogenito fratre ſubortum vigore ſubingreſſionis, ſive repræſentationis, in linea tranſverſali invectæ ob textum *in capitulo conſiderantes*, cujus ſubingreſſionis vi etiam frater defuncti fuit excluſus a nepte orta ex alio fratre primogenito, Afflictus *in conſtit. in aliquibus*, Fabius de Anna *conſilio 125.*, qui teſtantur generali conſuetudine totius Regni ita eſſe receptum contra mentem Iſerniæ, qui potius eſt intelligendus juxta

Digitized by Google

juxta terminos juris communis, uti Camerarius tradidit.

XLVI. Quid ſi nepos ex fratre primogenito concurrat cum patruo defuncti? Dicendum ex æqualitate gradus aliquem ex his excludi citra injuriam non poſſe; hinc ob hujuſce ſucceſſionis incertitudinem eo deventum eſt ſub Imperatore Othone, ut quæſtio gladii judicio definiretur, *cap. ad apoſtolicæ tit. Decretalium de ſententia, & re judicata*, quo in certamine fertur nepotem his victorem reſiluiſſe; hinc receptum a Doctoribus cauſam fuiſſe vi. ac judicio Divino ad exitum redactam, ita Conſiliarius de Anna *d. conſilio* 125.: & reapſe valde durum adhuc Regi Roberto viſum fuit patruum defuncti ejuſdem nepoti præferri; adeo ut in ſucceſſione comitatus S. Severini ſententiam protulit pro nepote defuncti ex fratre contra patruum ejuſdem, ut patet *ex conſilio* Oltradi 224. de quo Grammaticus *deciſ.* 1., eodemque pacto deciſum in cauſa Ducis Trajecti, de qua ſermo eſt apud citatum de Anna *d. conſilio* 125. *in dialogo*.

XLVII. Nunc de quarto gradu agendum: in hoc præ ceteris continentur Patrueles, Amitini, & Conſobrini, de quibus ante Carolum V. nulla fuit habita ratio: etſi jure communi feudorum ad ſeptimum uſque gradum collateralium ſucceſſio eſſet protracta, adhuc tamen in *d. conſtitutione ut de ſucceſſionibus* Fridericus, jure communi correcto, ſucceſſionem ad tertium gradum uſque, nempe ad filios fratrum, & non ultra porrexit. Scio ego pluries ſub Rege Philippo IV., nempe anno 1538.. & 1642. præfato Principi preces fuſas, ut feudalem ſucceſſionem ad ſeptimum uſque gradum in hoc Regno protrahendam decerneret, non ſecus ac in Regno Siciliæ receptum eſt; & quamvis a ſupremo Italiæ Conſilio favens Baronibus conſultatio prodiret; adhuc tamen nihil fuit a Rege reſcriptum *tomo* 2. *Privilegiorum fol.* 161.: itaque primum ſub Carolo V. de quarto gradu admittendo excogitatum, idque evenit anno 1548. hac ætate protracta fuit feudalis ſucceſſio uſque ad quartum gradum, ſed certa perſonarum deſignatione adhibita, etenim tantummodo Patrueles ad eam admiſſi, qui per lineam maſculinam a primo ſtipite deſcendunt, ſecus vero per femineam, *pragm.* 11. *& ſequenti de feudis*.

XLVIII. Ex vi hujus gratiæ infertur eum tantummodo admiſſum fuiſſe in quarto gradu, ut defuncto ſuccederet, qui ſexus eſſet maſculini, atque a maſculo primogenitus; ſed Philippo II. regnante anno 1589. eadem ſucceſſio fuit ad feminas quoque porrecta, & ad eos, qui ex feminis orirentur: ſic enim ait Rex: *quod ſuccedant tam fratres, & ſorores, quam eorum filii utriuſque ſexus: d. pragm.* 12., unde ablata fuit diſtinctio ſexus, quæ prius in filiis fratrum requirebatur. Demum anno *1666.* Carolus II. idem ſanxit, jubens, ut ſucceſſio ad quartum uſque gradum incluſive exerceri deberet *toto gradu comprehenſo*; *tomo* 2. *Privilegiorum fol.* 196.

XLIX. De fratribus & ſororibus conſobrinis videbatur ambigendum; etenim ſupplicatione porrecta Philippo III. Regi anno *1608.*, ut fratres, & ſorores conſobrini prædefuncto Baroni ſuccedant in feudalibus, ſi a communi ſtipite deſcenderent, nihil fuit obtentum, *tomo* 2. *Privilegiorum fol. 66.*: ab eodem idem denegatum Regni Baronibus anno *1616.*, & *1620.*, *d. tomo* 2. *fol.* 80. *&* 95.:

eadem

Digitized by Google

eadem de Philippo IV.; cum enim ei bis oblatæ fuerint preces, videlicet anno 1622., & 1638. pro fratribus, & ſororibus conſobrinis ad ſucceſſionem feudorum admittendis, bis fuit negative reſponſum *d. tomo* 2. *fol.* 122. *&* 145.: ſed eodem Principe Regnante anno 1655. hi omnes admiſſi leguntur in *pragm.* 34. *de feudis*, cujus epitome ſic habet: *Extenditur ſucceſſio feudorum uſque ad quartum gradum incluſive tam virorum, quam feminarum*: Cujus legis poſtremæ voces ex interpretatione Prudentum ad fratres, & ſorores conſobrinas communiter aptantur.

L. Demum ab Imperatore Carolo VI. anno 1720. ampliata fuit ſucceſſio feudalis uſque ad quintum gradum incluſive, *eodem tomo* 2. *Privilegiorum in fine*: unde infertur id ſemper fuiſſe a noſtris intentum, ſive a Baronibus preces Principi offerentibus, ſive a Regibus ſucceſſionem feudalem prorogantibus, ut feuda magis, magiſque in familia ſervarentur, neque tamen facile Fiſci devolutioni locus fieret; ſed hoc idem Caroli VI. reſcriptum adhuc innumeris fuit contentionibus obumbratum, & præ ceteris in eo quæſtio emerſit, an Collaterales in quinto gradu exiſtentes, ut ſuccedere valeant, debeant a ſtipite maſculino primordia vindicare, an vero ſat eſt, ſi a feminis deſcendant: Fiſci Patroni Regiæ Cameræ ad Principis jura tuenda excogitarunt eos debere maſculinam originem præferre, eo quod hoc Caroli VI. reſcriptum ad aliud eſt referendum, quod a Philippo IV. obtinuit inſignis Capitaneus Aloyſius Fridericus pro quarto gradu, in quo admiſſa fuit ratio ſuccedendi pro deſcendentibus ex Baronibus, quæ voces ad maſculini ſexus perſonas potius, quam feminini referri videbantur, ubi vero hæc quæſtio in hoc Regno exarſit, res tranſactione ſopita eſt; nam deſcendentes ex feminis admiſſi leguntur, ſed ære dato, hoc eſt tranſactione inita cum fiſco: nuperrime a Civitate Neapolitana, & Baronibus Regni preces Regni Carolo Borbonio porrectæ, ut præfatum Caroli VI. Privilegium de quinto gradu in feudalibus admittendo confirmaret; ſed prodiit oraculum, *re maturius perpenſa providebitur*: unde hac reſcripti formula videtur noſtris temporibus præfatum Privilegium eſſe ſuſpenſum, ut ex nuperrimis Regiæ Cameræ deciſionibus hac ætate prolatis quintum gradum excludentibus patet.

LI. Pro coronide notandum, neque legibus noſtri Regni deficientibus tranſverſalibus eſſe locum conjugi ſuperſtiti, ut valeat in feudo defuncti conjugis vocari, & quamvis Romano jure, & Prætoria æquitate poſt agnatos, & cognatos conjugibus invicem ſuccedendi jus tributum legatur, ut patet ex *tit. Digeſtorum unde vir & uxor*: hoc autem jure feudali non procedit, niſi diſertis verbis de conjugibus quoque in inveſtitura fuerit cautum, *tit.* 15. *libri* 1.: Non negaverim vero feudum poſſe in dotem dari; adhuc tamen muliere abſque liberis decedente non ad Maritum tranſibit, ſed vel ad Agnatos pertinebit, vel his deficientibus devolutioni locum in fiſci favorem fieri neceſſum erit, *tit.* 15. *feudorum libri* 2. *

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Præſcriptione feudi.

ACQUIRITUR etiam feudum nobis per præſcriptionem, quæ eſt modus rei acquirendæ ex jure civili, cum nempe per triginta annos aliquis rem poſſederit tamquam feudum, præſtans ſervitium tamquam Vaſallus; & quamvis poſtea probari poſſit numquam rem conceſſam in feudum fuiſſe, tamen præſcriptione poterit ille ſe defendere, ut ſtatuitur expreſſe in *tit.* 26. *lib.* 2. §. *ſi quis per triginta*: quod idem cenſet Duarenus ex parte Domini directi dici poſſe, quamvis jure feudali non ſit expreſſum, cum nempe quis nihil juris habens in feudo, eo utatur triginta annis, uſurpans dominium directum, & ſervitium, quæ ſunt propria feudi, ita ut per hoc ſpatium directum dominium acquirat, quemadmodum Vaſallus ipſe poteſt acquirere jus, quod nunquam fuit conceſſum.

II. His vero obſtare videtur, quod ſtatuitur a Lothario, & Friderico Imperatoribus in *tit.* 52., & 55. *lib.* 2., ubi dicitur, nullius temporis præſcriptione feudum acquiri; ſed recte monet Giphanius in iis capitibus ſermonem eſſe, quando Vaſallus feudum alienat ſine Domini conſenſu; tunc Dominus ipſe feuda alienata rurſus vindicare poteſt, nulla præſcriptione obſtante: quod ſane provenit ex ipſa natura feudi; cum enim illud certæ perſonæ conceditur, ejuſque deſcendentibus ex corpore, abſurdum eſt, ut fiat alienatio domino ignorante, unde feudum tranſeat in perſonam ignotam, & aliquando ſuſpectam Domino: verum hac de re fuſiùs dicemus *infra*.

III. Nec rurſus obſtat *tit.* 26. §. *ſi quis deceſſerit eodem lib.* 2., ubi dicitur anni ſilentium ſufficere ad feudum acquirendum; nam reſpondetur ibi ſpeciem proponi, quando fiat alienatio, vel refutatio, ſciente Domino, vel agnato; tunc enim anni ſilentium ſufficit pro acquiſitione feudi, quod ſecus eſt in præſcriptione, in qua feudum non alienatur, ſed poſſidetur tantum per triginta annos. Hoc autem in regno noſtro obſervatur, nam feudi alienatio quocumque tempore poteſt reſcindi, niſi acceſſerit conſenſus Domini, vel niſi tranſactum ſit tempus immemorabile, quod præſumptionem inducit in alienatione interveniſſe voluntatem, & conſenſum Domini directi.

IV. De rebus vero Eccleſiæ dubium eſt, an poſſint per præſcriptionem in feudum acquiri: & quamvis generaliter de omnibus rebus feudalibus præſcriptio ſit, nec Eccleſia excipiatur, tamen vulgo Interpretes exiſtimant in rebus Eccleſiæ præſcriptioni locum non eſſe. Verum exiſtimat Duarenus res quoque Eccleſiæ in feudum præſcribi, modo tamquam feudum per annos undecim poſſideantur; nam ſi hoc ſpatium temporis ipſis Canonibus ſtatuitur ex *cap.* 8. *de præſcriptionibus* ad acquirendas res Eccleſiæ, nulla ratio aſſignari poteſt, cur non idem de feudo ſit dicendum.

V. Cum autem idem ſpatium temporis

poris ad res Civitatis præſcribendas requiratur, *l. ult. Cod. de ſacroſanct. Eccleſiis*, communis DD. ſententia eſt, hoc idem ſpatium requiri ad res ejus per præſcriptionem, tamquam, feudum nanciſcendas. In regno noſtro cum præſcriptio non admittatur, niſi ſit immemorabilis, ideſt cujus initium ignoratur, ut vulgo aſſignari ſolet centenaria, ideſt poſt centum annos, ideo ad præſcribendum feudum ea ſola cenſetur idonea. Major autem dubitatio eſt de ea ſpecie, an Vaſallus, qui per triginta annos feudum abſque petitione inveſtituræ poſſedit, libertatem præſcripſiſſe videatur, ita ut rem tamquam feudum non teneatur habere; nec Domino ſervitium præſtare, aut ullum onus ſubire? Giphanius exiſtimat id nunquam Vaſallo licere, & movetur verbis *d. tit. 26. §. licet:* nam cenſetur aliquo modo abſurdum, ut ex temporis lapſu non debeat Vaſallus cognoſcere Dominum directum, a quo fuit feudum conſtitutum. Verum Duarenus ſcripſit, in Gallia conſuetudinem eſſe, ut hoc caſu præſcribatur feudum: quæ ſane conſuetudo non videtur aliena a juris regulis; nam quandocumque jus ſive ſervitus, ſive hypotheca, ſive dominium ex diuturnitate temporis amittitur: quod etiam in Regno noſtro obſervatur dummodo, ut *ſupra* diximus, præſcriptio ſit immemorabilis; nam ſecus, quemadmodum jura fiſcalia vindicari poſſunt, ita multo magis & dominium directum.

VI. Cum in feudo pacta, & conventiones inveſtituræ obſervandas ſæpius diximus, adeo ut recedi poſſit ab ipſa natura feudi: hinc quæſitum feudum per præſcriptionem quanam ratione ſit habendum: & cenſet Baldus in *l. liberti C. de operis libertor.* eo caſu eſſe liberum, & proprie feudum, tamquam ſi pure, & ſimpliciter eſſet conceſſum; unde nec feminæ ſuccedunt, nec a præſtatione juramenti Vaſallus eſt immunis. Verum quoniam in regno ex LL. noſtris feminæ ſine ſpeciali pacto ſuccedunt, conſequens eſt, ut etiam admittantur deficientibus maſculis, ibi feudum acquiſitum eſt præſcriptione, quia apud nos improprium dici non poteſt feudum, quando ſuccedunt feminæ, cum id ſit ex jure ordinario.

VII. An per præſcriptionem a tertio poſſeſſore feudum acquiri poſſit, in diſceptationem venit; E. G. poſſidet quis rem feudalem ſpatio triginta annorum, & onera ſuſtinet tamquam Vaſallus, an revera ita habendus ſit, quamvis illi ab initio feudum non fuerit conſtitutum. Affirmat quidem Alvarotus in *cap. 1. tit. de capitul. Corrad.*, & alii DD., ut videre eſt apud Ultejum *lib. 1. cap. 9.*, ubi notat ad hanc præſcriptionis ſpeciem requiri, ut Vaſallus, cui revera fuit facta conceſſio, ſciat feudum ab alio poſſideri; nam ſi ignoret, præſcriptio non procedit. Quod utique in ſucceſſore, qui ignorat rem feudalem fuiſſe defuncti, evenire poteſt, eam in perſona ipſius feudatarii id nunquam præſumitur; nemo enim adeo negligens eſt exiſtimandus, ut neſciat feudum ad ſe pertinens in alterius poſſeſſione eſſe.

VIII. Id ipſum quoque placuit in perſona Domini directi, nam contra eum poterit præſcribere tertius poſſeſſor: & quamvis nonnulli cenſeant id evenire etiam Domino ignorante, tamen probat idem Ultejus ſcientiam ipſis neceſſariam eſſe, nam ſecus ex facto Vaſalli conditio Domini efficeretur deterior, quod in feudis non eſt admittendum: imo ex hoc enim eve-

Digitized by Google

eveniret, ut invito Domino aliquis efficeretur Vaſallus. Quod præſertim verum eſt in regno noſtro, ubi omnis alienatio, & translatio feudi in eum, qui non eſt vocatus in inveſtitura, prohibetur ſine aſſenſu Principis. Tantum in hac ſpecie immemorabilis præſcriptio admittitur, ex qua cum Vaſallus requirat titulum, ipſa temporis diuturnitas tuetur quemque poſſeſſorem, quin immo tunc præſumitur etiam aſſenſum intervenire.

IX. De Regalibus major eſt dubitatio; cum enim ea, ut *alibi* diximus, pertineant ſpecialiter ad Principem, ſane ſummi Imperii jure videntur eſſe extra præſcriptionem: ita communiter DD. in *cap.* 1. *quæ ſint regalia*: & præſertim id obſervandum eſt in Regno, ubi Baronum nonnulli in ſuis feudis cum præjudicio & Principis, & ſubditorum quædam jura regalia ſibi uſurpant, præcipue quæ conſiſtunt in prohibitione quorumdam jurium pertinentium ad naturalem libertatem, ſaltem permiſſam jure gentium, ut eſt facultas piſcandi, venandi, molas extruendi &c.: unde hæc niſi fuerint conceſſa in inveſtitura, nunquam a Baronibus ex ſola temporis diuturnitate cenſentur acquiſita.

X. His accedit & alia ratio, quia ut plurimum, quæ contra jus fiunt a Baronibus, & in uſu habentur a ſubditis cenſentur per vim, & metum extorta, & propterea neque tempus diuturnum Barones tueri poteſt, niſi appareat aliquo modo conceſſionem factam fuiſſe, ut eſt ſpecies relata a de Franchis *deciſ.* 56., ubi favore Baronis fuit deciſum, poſita certa quadam annua præſtatione, quæ fiebat per univerſitatem; ſiquidem ex inſtrumentis aliqua videbatur ejus exactionis mentio, nam ſecus nihil quidquam exigi poteſt ab univerſitatibus, cum alia onera ſint de regalibus, ut ait de Iſernia in *tit. quæ ſint regalia*, & reſiſtit jus ei, unde ſola poſſeſſio non ſufficeret.

CAPUT XVI.

De jure, quod habet Vaſallus in feudo.

EXPOSUIMUS, quibus modis feudum acquiratur; videamus modo, quodnam jus in acquiſito feudo Vaſallus habeat. Competit quidem ei, ut *alibi* diximus, dominium utile, quod licet aliqua ratione ad uſumfructum accedat, tamen majus habet Vaſallus jus in feudo, quam uſufructuarius in feudo; ſiquidem per mortem Vaſalli non amittitur feudum, quemadmodum amittitur uſusfructus per mortem fructuarii. Eſt aliud diſcrimen, quod quidquid per alluvionem feudo accreſcit, non pertinet ad fructuarium, ſed ad Dominum proprietatis: e diverſo omnis utilitas feudi, omne incrementum illius ad feudatarium pertinet; hic enim non habet ſimplicem ſervitutem, ſed facultatem proximam dominio.

II. In eo etiam jus Vaſalli in feudo apparet, quod poſſit ſervitutem acquirere prædio feudali, eidemque imponere: verum quamdiu ad uſum pertinet feudi: nam ſi ad Dominum revertitur, ſervitus cenſetur extincta; feudum enim acquiritur Domino eodem modo, ac fuit conſtitutum, tit.

Digitized by Google

tit. 58. *lib.* 2.: dubium vero eſt de ſucceſſore ; & communiter cenſetur etiam ſervitutem extingui , quoties ad eum pertinet feudum ; id enim intelligendum eſt de feudo ex pacto , & providentia , nam in feudo hereditario non poteſt ſucceſſor venire contra factum defuncti , heres enim ſuccedit.

III. Illud autem quæſitum eſt, an poſſit Baro, ſi feudum habeat prope mare , in eo portum conſtruere . Vulgo negatur a noſtris Doctoribus poſt Capycium *in ſua inveſtitura* . Hinc portus in Regno noſtro in quibuſcumque locis ſint , cuſtodiuntur a Regiis Officialibus , vulgo Portulanis , & ſpecialis quoque eſt juriſdictio pertinens ad magnum Admiratum , quod eſt unum ex ſeptem Regni officiis : eo nomine Saraceni appellabant claſſis maritimæ Præfectum . Hinc cum olim Neapolis, & Siciliæ Reges multas claſſes haberent, & multos Admiratos , qui inter eos erat primus , dicebatur magnus Admiratus, & Admiratus Admiratorum ,quo nomine ſub Rege Gulielmo Hiſtorici appellabant quemdam Barenſem , qui ſupremam obtinebat auctoritatem , unde ſuperbia , & potentia elatus ſibi,& regno exitium attulit .

IV. Solet etiam quæri , an poſſit Baro in ſuo feudo nundinas inſtituere: & quidem Baldus in *l. unica Cod. de nundinis* negat id fieri poſſe ſine aliqua ſpeciali Principis permiſſione; id enim ſatis colligitur ex eo textu ; nam tale jus pertinet ad ſummum Imperium , & apud Romanos olim concedebatur a Senatu , ut diximus ex Plinio *epiſtolar. lib.* 5.: Poſteriores vero Imperatores certis temporibus,& certis in locis nundinas inſtituerunt cum omnium fere vectigalium immunitate, prout ex tempore antiquiſſimo in Regno inductum , præſertim ætate Friderici II. Imperatoris.

V. Solus autem Princeps poteſt immunitatem concedere a publicis vectigalibus, & propterea hæc facultas ſine ejus voluntate non competit Baroni : quin etiam ſi quando novæ nundinæ aliquo in loco inſtituendæ ſunt aſſenſu Regis, inſpiciendum eſt, an id præjudicium afferat locis vicinioribus ; nam non ſolet Princeps alicui privilegium concedere in damnum alterius ; quod ſic exprimitur in *l.* 2. §. *merito D. ne quid in loco publico* ; nam quotieſcumque aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti , ut ſine injuria cujuſcumque fiat , & ita ſolet Princeps , quoties aliquid novi operis inſtituendum petitur , permittere.

VI. Verum dum impetratur aſſenſus pro novis nundinis , & exprimitur præjudicium vicini , & a lege conceditur, tunc id licite fiet; nam eo caſu Princeps expreſſe juri alterius derogat ex ſua poteſtate , *d. l.* 2. §. *ſi quis a Principe*. Nec refert, quod Princeps non poſſit rem alterius auferre; id enim verum eſt, quando agitur de damno inferendo ex ablatione rei,non autem quando lucrum ceſſat indirecte , ut in ſpecie propoſita ; non enim Princeps aufert nundinas in alterius territorio , ſed tantum per novam conceſſionem lucrum imminuitur, quod etiam aliquando privatis permittitur.

VII. Hinc communiter DD poſt Bartolum in *l.* 2. *D. de fluminibus* ſtatuerunt , non poſſe vicinum me impedire novum molendinum in fundo meo extruere , ea ratione , quia redditus ſui molendini imminuuntur; id enim fit indirecte, cum nihil, quod ejus eſt, aufero; ſed tamen utor jure meo;

Digitized by Google

meo; niſi fingamus molendinum conceſſum fuiſſe a Principe cum prohibitione, ne vicini intra certum ſpatium aliud extruant; nam eo caſu ſervatur talis prohibitio, quæ eſt de regalibus: idem dicendum de tabernis, & aliis ejuſdem generis noviter extruendis.

VIII. Nec etiam poteſt Baro caſtra, ſive loca munita de novo extruere in ſuo feudo, imo nec diruta reficere abſque ſpeciali Regis licentia, ut ſtatuitur in *conſtit. caſtra ſub tit. de nov. ædif.* Ex hac Regia Conſtitutione inferunt DD. noſtri, nec etiam poſſe Baronem ſine aſſenſu Regis loca inhabitata novis ædificiis ad habitandum ornare, etſi aliquando fuerint habitata: requiritur quoque aſſenſus, qui non ſolet concedi, niſi cum novi habitatores ſint exteri; nam ſecus damnum affertur Civitatibus, & oppidis, ſive demanialibus, ſive Baronalibus, a quibus novi habitatores commigrabunt.

IX. Quamvis autem in *tit.* 28. *lib.* 2. *feudor.* ſimpliciter dicatur poſſe Vaſallum, hoc eſt feudatarium, nova ædificia in feudo extruere; id enim intelligendum eſt pro ſuo commodo, vel ubi jam adſunt Incolæ, vel ita ut ea locare poſſit, non autem ut loca inhabitata repleat incolis, & habitatoribus; ædificia enim extruere pertinet ad rem feudalem meliorandam, quod utique ei permittitur, quemadmodum poteſt feudo novam ſervitutem acquirere, non autem veterem, & jam acquiſitam remittere in præjudicium Domini directi.

X. Videamus de re feudali alteri concedenda, quæ vulgo apud nos dicitur *ſubinfeudatio*: jure quidem feudorum certum eſt, id feudatario licere; at ſecus in regno, ubi hoc prohibetur ſine expreſſa Domini licentia *ex conſtitutione divæ memoriæ*. Hinc apud DD. agitata eſt quæſtio, an facta ſubinfeudatione, & ob lineam finitam re ad feudatarium reverſa hic poſſit eam apud ſe retinere, an vero iterum teneatur eandem concedere in ſubfeudum, quemadmodum antea data fuit. Et ſane Baldus in *cap.* 1. §. *ſi vero tit. qualiter olim feudum alien.*, docet Regem ipſum feudum devolutum omnino teneri in alium transferre, nec poſſe apud ſe retinere: igitur multo magis ex ejus ſententia tenebitur Baro ad renovandam ſubinfeudationem: verum hæc opinio communiter reprobatur, cum nulla ratio aſſignari poſſit, cur Princeps id facere debeat, ſiquidem & propriæ utilitatis, & ſubditorum magis intereſt eſſe ſub immediato dominio Regis, quam Baronum, unde in regno & olim contrarium obſervatum fuit, & adhuc obſervatur, nam multæ Civitates, quæ olim datæ erant in feudum, in præſenti reperiuntur ſub immediato Dominio Regis; ſolent, ut diximus *alibi*, in nova conceſſione ipſimet ſubditi ſoluto pretio feudum obtinere, ut ſint exemti ab onere feudali, ſcilicet, conceſſione facta Baroni, quod vulgo dicitur apud noſtros *demanium petere*.

XI. Quo autem aſſerit Baldus de feudo, probant Doctores in Emphyteuſi ex ſententia Bartoli in *l.* 1. *D. de aqua quotidiana*, *& æſtiva*, ſcilicet teneri Dominum directum rem Emphyteuticam ob lineam finitam concedere agnatis proximioribus: ſunt autem Doctores, qui opinionem Baldi eo tantum caſu obtinere cenſent, quando Princeps feudum devolutum vult alteri vendere; tunc enim ſi agnatus velit idem pretium offerre, Domi-

Digitized by Google

Dominus tenebitur ei prælationem concedere. Quod ſane eſt congruum legibus Regni, nam *in conſtitur. ut de ſucceſſionibus* ſic ſtatuit Fridericus II.; at cum vult Princeps apud ſe retinere feudum, vel gratis alteri concedere, tunc agnatus non eſt audiendus, quod idem cenſet obſervari in Emphyteuſi; nam ſi velimus ſimpliciter ſequi opinionem Bartoli, eſſet ſane iniquum compellere Dominum directum ad rem concedendam in Emphyteuſim, quamvis velit ipſe vel eam ſibi habere, vel donare: & hæc eadem obſervanda ſunt in Barone, qui ſubfeudum concedens ex Regis aſſenſu, ſi illud devolvatur ad ſuam Curiam, & velit iterum vendere, debet præferre agnatum, ſecus vero ſi rem apud ſe retinebit.

XII. Quemadmodum apud nos nequit Baro rem feudalem in ſubfeudum dare abſque Regis permiſſu, ita nec eandem poteſt concedere in Emphyteuſim ex *d. conſtit. conſtitutionem divæ memoriæ*. Quando autem adeſt Regis aſſenſus, valet conceſſio, ſed eo caſu res adhuc feudalis eſt reſpectu Baronis, ſive annuus redditus, qui percipitur, cenſetur feudalis, ſed reſpectu Emphyteuticarii cenſetur allodialis; unde hic non tenetur ad onera feudi, ut communiter docent noſtri ex Napodano *in conſuetudine in bonis tit. in quibus locum habeat quarta*.

CAPUT XVII.

De alienatione feudi.

QUONIAM feudum conceditur, & tranſmittitur ex voluntate Domini directi ſecundum verba inveſtituræ, ideo non poteſt in extraneam perſonam contra voluntatem ipſius transferri. Hinc communiter receptum eſt, ut quoties feudatarius velit jus ſuum, hoc eſt dominium utile, quod in feudo habet, alienare, debeat ipſius Domini directi conſenſum requirere, aliter alienatio non conſiſtet: ſed ſi feudum ſit antiquum, non ſufficit ſolius Domini conſenſus, requiritur etiam voluntas agnatorum, qui vocati ſunt in Inveſtitura, *tit. 29. lib. 2.*: & ratio eſt quia cum ex morte feudatarii ad agnatos feudum pertineat, eis eſſet injurioſum feudum alienare ſine ipſorum conſenſu, cum non excludatur a feudo.

II. Hinc alienatio antiqui feudi prohibita non eſt, modo fiat inter ipſos agnatos, ad quos aliquando perveniret, *d. tit. 29.*; quæ ſpecies alienationis in jure feudali ſpecialiter dicitur *refutatio*; nam quoties a Vaſallo ipſi Domino feudum ceditur, vel filiis ſuis, vel agnatis, vel quibuſcumque, ad quos ſpectat feudum, dicitur refutari feudum. Hinc inter feudiſtas celebris Andreæ de Iſernia regula jactatur, quæcumque pacta, quaſcunque conventiones in feudis prohibitas eſſe, inſcio Domino directo, excepta tantum refutatione, quæ nullum Domino affert præjudicium; cui enim fit refutatio, is jam antea vocatus erat ad feudum.

III. Quæſitum vero eſt, an in hac alienatione, ſive refutatione, quæ fit agnatis, de proximioribus tantum intelligendum ſit, an vero de omni-

Digitized by Google

omnibus, adeo ut cuicumque agnato, etiam remotiori ſine aſſenſu alienari poſſit feudum. Et quamvis Baldus in utramque partem diſputet, tamen Duarenus *de feudis cap.* 12. ſecundum regulas æquitatis exiſtimat proximioribus tantum refutationem fieri poſſe, hoc eſt eis, qui ſunt immediate ſucceſſores; remotioribus vero ita, ſi proximiorum acceſſerit conſenſus; hi enim cum aliquo modo jus habeant quæſitum in ſucceſſione, debent alienationi conſentire. In feudo tamen novo aliquando Domini tantum, non Agnatorum conſenſus neceſſarius eſt; quia ad eos feudum non pertinet, utpote non vocati in inveſtitura. Sed an voluntas filiorum requiratur, videamus; & ſiquidem filiorum contemplatione feudum conceſſum ſit, vel ſi id actum fuerit, ut filii ſuccedant in feudum, tunc cenſet *loco cit.* Duarenus eorum voluntatem in alienatione neceſſariam eſſe, quia Pater non poteſt quidquam ſtatuere in feudo, quod adimat jus acquiſitum a filiis, ut colligi poteſt ex *tit. 6. lib. 1. in principio*: ſed ſi aliquis feudum pro ſe, heredibuſque ſuis acquirit, tunc non requiritur filiorum conſenſus; nam cum filii eo caſu admittuntur ad feudum tamquam heredes defuncti, non ex propria perſona, non debet eis diſplicere alienatio, quæ fit conſentiente Domino, ut notat idem Duarenus; nam heres ex generali regula non poteſt venire contra factum defuncti: unde generaliter eſt concludendum in alienatione feudi hereditarii ſolum aſſenſum Domini ſufficere.

IV. Quid autem ſi alienatio feudi, quæ fit a Vaſallo maximam Domino utilitatem afferat? Et dicemus hoc caſu etiam ejus conſenſum requiri; & quamvis vulgo, ut refert Giphanius, exiſtimetur Domini conſenſum neceſſarium non eſſe, tamen hæc ſententia rejicitur a Bartholomæo Camerario, nec ſine ratione; etenim licet Domini commodum in alienatione adſit, tamen videtur aliquo modo contemni ejus voluntas, cum alienatur feudum ipſo ignorante. His adde, quod intereſt Domini directi ſcire perſonam ejus, in quem feudum eſt transferendum; nam poteſt evenire, ut novus feudatarius ſit ſuſpectus, vel malæ fidei, unde poteſt aliquod moliri in perniciem illius.

V. Neceſſitate cogente nec etiam abſque Domini conſenſu alienari poteſt feudum, ut ſi adſit famis, vel mortis, vel alterius periculi neceſſitas; ut colligitur *ex tit.* 19. *lib.* 2.: hæc tamen a Doctoribus exceptio redditur, ſi Vaſallus hujuſmodi neceſſitatibus coactus Domino denunciarit, & hic ſine cauſſa nolit conſentire, præſertim ſi feudatarius poſſideat feudum ex cauſa oneroſa, veluti emtione, permutatione &c.

VI. Quamvis aſſenſus alienatione feudi olim in Regno præſtabatur a Proregibus, attamen in *pragm.* 4. *de feudis* nonnulli caſus excipiuntur, præſertim quando feudatarius legitimo caret ſucceſſore; tunc enim cum alienatio præjudicium afferat Fiſco Regis, hujus expreſſa requiritur voluntas. Notat autem Rovitus ſuperiorem Pragmaticam intelligi, quoties omnino nec habet feudatarius ſucceſſorem, nec habere, poteſt, veluti quia jam eſt conſtitutus in ætate decrepita, vel impedimentum naturale habet ad filios procreandos; nam ſi aliquo modo habere poteſt, etſi actu non habeat, tunc Pragmaticæ non eſt locus.

VII. Non levis autem oritur dubita-

bitatio inter noſtros, an obtineat Pragmatica prædicta, quando legitimus ſucceſſor poſt ſe alium ſucceſſorem habere non poſſit, vel ſi tali infirmitate, aut impedimento detineatur, ut filios procreare non valeat? & quamvis de Ponte *in tract. de poteſtate Proregis* multis argumentis probet. Pragmaticam eo caſu obtinere, quia idem eſt non habere ſucceſſorem, ac habere non idoneum ad generandum alios, unde in facto ſic refert deciſum in Regia Camera; tamen idem Rovitus contrarium defendit, ut ſuperiorem ſententiam impugnet; ſiquidem cum hæc Pragmatica prohibitionem includat aſſenſus concedendi, non eſt ad alios caſus extendenda: in ea enim nihil continetur de ſucceſſore ſucceſſoris, ſed ſimpliciter ſermo fit de primo: his adde quod leges ſpeciales, ut eſt ſuperior Pragmatica, non facile ampliandæ ſunt ad caſus non expreſſos.

VIII. Si alienatio facienda eſt ab extero, hoc eſt, qui in Regno ordinarium domicilium non habet, etiam requiritur ſpecialis Regis aſſenſus, quia a Prorege nequit concedi *ex pragm.* 17. *eod. tit.*: verum cum *ſupra* diximus refutationem fieri poſſe in immediatum ſucceſſorem feudi, etiam ſine aſſenſu, inde ſequitur exterum quoque recte eo modo feudum transferre abſque ullo aſſenſu, quia nullum inde præjudicium Regi affertur; & citata Pragmatica tantum intelligitur, quoties feudi poſſeſſor vult feudum alienare in eum, qui omnino vocatus non eſt in inveſtitura, neque ullum jus habet ad ſuccceſſionem.

IX. Cum autem ex jure apud nos recepto in venditione feudi permiſſum ſit Civibus prælationem, vulgo Demanium gerere, inde quæſitum eſt, an competat idem jus, ubi venditur feudum immediato ſucceſſori; & communiter negatur: nam nullum inde affertur præjudicium Civibus; etenim ſucceſſor feudum, quod habiturus eſt poſt mortem Succeſſoris, habet in præſenti, & videretur iniquum ex venditione auferre illi jus quæſitum per inveſtituram.

X. Sunt & alii caſus comprehenſi in *d. prag.* 4., veluti ſi bona feudalia perveniant ad Eccleſias, Monaſteria, vel Univerſitates: ratio eſt, quia incidunt quodammodo in manus mortuas; nunquam enim poſſunt ab eis recedere, & ad Fiſcum pervenire, cum ſint corpora perpetua; & fieri non poteſt, ut aliquando careant legitimo ſucceſsore, & propterea æquum eſt, ut ſpecialis adſit Regis voluntas.

XI. Idem dicendum, ubi natura feudi aliquo modo alteraretur, veluti ſi ad alios ſucceſsores illud pertineret, quam expreſsos *in conſtit. ut de ſucceſſionib.*; vel ſi non alienaretur integrum feudum, ſed pars illius; vel ſi ab uno tantum poſſideatur, & transferendum eſt ad plures in ſolidum, vel pro parte; nam tales diviſiones, & translationes cum damnum afferre poſſint Fiſco Principis, voluntas ipſius neceſſaria erit.

XII. Sicuti per alienationem, ita per ſervitutis impoſitionem ſuper feudo, jam *ſupra* diximus, præjudicium afferri non poſſe Domino directo, unde a Doctoribus Regni quæſitum eſt, utrum in hac ſpecie requiratur Domini aſſenſus? Negat quidem de Afflictis *in cit. conſtit. conſtitutionem divæ memoriæ*, quia inquit ille: ſervitutis impoſitio proprie alienatio non eſt: at contrarium ſenſit Marinus Freccia *de ſubfeudis lib.* 2., & movetur verbis ejuſdem conſtitutionis,

Digitized by Google

ubi prohibetur non ſolum alienatio, ſed quæcumque commutatio, aut imminutio feudi; ſatis autem conſtat per impoſitionem ſervitutis jus feudi imminui, immo continetur ipſo alienandi verbo, unde in *l. ult. Cod. de rebus alienis non alienandis* decernitur, ſive a lege, ſive a teſtamento, ſive a contrahentium conſenſu prohibita alienatione, intelligi etiam dationem uſusfructus, hypothecam, & impoſitionem ſervitutis vetitam eſſe.

XIII. Neque obſtat, quod ſervitus durat, uſque dum feudum pervenit ad Fiſcum Principis, nam fieri poteſt, ut ex ſpatio longiſſimi temporis acquiratur ſervitus etiam contra Dominum directum. Quapropter quod *ſupra* diximus de impoſitione ſervitutis durante feudo penes Baronem, ejusque heredes, magis obtinet de jure communi feudorum, quam de jure Regni. Non ſemel apud nos evenit ut feudum per locationem ad tempus alteri concedatur, & cum juriſdictione in ſubditos, & propterea dubitatur, an adhuc requiratur aſſenſus? Affirmat Camillus de Medicis, idque probat multis rationibus: prima quia juriſdictio, cum ſit præcipua inter regalias, transferri non poteſt in alium abſque voluntate Principis, cujus intereſt ſcire, a quo exerceatur in ſubditos juriſdictio. Verum in S. C. contrarium refert deciſum Joannes Andreas de Giorgio *in repetitionibus feudalib. cap.* 10. Non deſunt hujus deciſionis rationes, ſiquidem dubitandi ſuperior ratio ceſſat apud nos, cum Barones juriſdictionem habentes non poſſint eam per ſe exercere, etiamſi in jure ſint periti, ſed teneatur Judicem, & Gubernatorem conſtituere & propterea parum intereſt, utrum Gubernator eligatur a Domino utili, ſive Barone, an ab alio illius voluntate, nempe a conductore feudi. Et ſi vera eſſet ſuperior ratio, ſequeretur ſemper Domini directi conſenſum requiri, quoties a Barone novus eligitur Gubernator, vel Judex, ut ſciri poſſit, a quo ſubditi regantur, & judicentur; quod ſane cum magnum incommodum afferret, prorſus non obſervatur: Et hinc videmus quotidie Barones eligere ſuos Judices, & Gubernatores abſque eo, quod Princeps ſciat, quinam illi ſint, dummodo eligantur perſonæ idoneæ, & a jure non prohibitæ.

XIV. Illud quoque in præſenti controverſia conſiderari oportet, conſtitutionem de prohibita alienatione feudi abſque aſſenſu quodammodo odioſam eſſe; nam per eam reſtringitur jus, quod habet Vaſallus in feudo, & propterea amplianda non eſt ad caſus non expreſſos, nec facienda eſt extenſio de translatione Dominii ad locationem, qua nullum jus transfertur, præter ſimplicem fructuum perceptionem, ſalva penſione.

XV. Poſtremo conſideratur ratio, cur alienatio feudi prohibeatur, quia Dominus directus ſcire debet perſonam ejus, in quem ſit translatio, tum ob onera feudi exigenda, ut Relevium & Adoha: at in ſpecie noſtra id non obtinet, quia facta locatione feudi ipſe cognoſcitur a Domino tamquam Vaſallus, non conductor; huc aptari poſſunt verba *l. non ſolet 39. D. locati*, nempe quod non ſolet locatio dominium immutare; & propterea non mutatur dominium utile, quod habet feudatarius ex eo, quod locationem facit de feudo.

XVI. Non ſemel accidit, ut in contractu venditionis addatur pactum de retrovendendo quandocumque, aut ad certum tempus, unde quæritur,

Digitized by Google

tur, an impetrato aſſenſu ſupra venditionem feudi, cenſeatur quoque præſtitus idem aſſenſus in pacto: jure quidem Romano, ex generali regula *l. lecta D. de rebus creditis*, pacta incontinenti appoſita inſunt contractui bonæ fidei, hoc eſt conſtituunt partem ipſius contractus: & propterea ex hac regula ſequeretur aſſenſum ad pactum quoque pertinere. Verum ex *decis.* 126. de Franchis contrarium deducitur, nempe aſſenſum non expreſſum ſuper pacto non ſolum ad illud non porrigi; ſed univerſum contractum infirmare; fortaſſis ex eo, quia cum unus ſit contractus, cenſetur nullus aſſenſus impetratus diverſo modo; ſiquidem dum aliquod petitur a Principe, totum negotium, prout geſtum eſt, exponi debet, & nihil celari, aliter aſſenſus erit, ut vulgo loquuntur, ſubreptitius, vel obreptitius.

XVII. Hinc Doctores noſtri generalem conſtituunt regulam, aſſenſum uno modo impretratum non extendi ad alium, e. g. ſi dictum ſit pro alienatione facienda, non valere; nec porrigi ad alienationem jam factam, vel e diverſo, vide Afflictum *decis.* 355. & de Franchis *decis.* 105. ſed nec extendi de perſona ad perſonam: unde ſi impetretur pro alienatione feudi facienda Titio, e. g. nullus cenſetur, ſi fiat Cajo, ut tradit Paris de Puteo *in tract. de reintegr. feud. cap.* 86.; & ratio evidens eſt, quia in perſonam unius emtoris aſſenſum dedit Princeps, & fortaſſis noluiſſet dare in perſonam alterius: ſunt enim nonnulli, qui juſtis de cauſis Principi poſſunt eſſe ſuſpecti, unde & Regno, & ſubditis damnum non leve affertur.

XVIII. Quando autem dubium eſt, utrum aſſenſus præſtitus ſit ante, vel poſt contractum, ſemper præſumtio ſit pro validitate illius; e. g. impetratus eſt aſſenſus pro contractu faciendo, & deinde apparet eodem die eſſe contractum celebratum, & aſſenſum præſtitum, præſumendum eſt poſtremo loco initum fuiſſe contractum, ut eſt ſpecies apud de Franchis *decis.* 355.: id autem, ut diximus verum eſt, cum ſumus in dubio; nam ubi aliqua probatio eſſe poſſet certa, tunc ſecus ſe res habet, & præſertim quando agitur de conſervando jure nobis quæſito ex propria induſtria, & in præjudicium alterius. Hoc tractatur apud Salgadum in *labyrinto creditorum part.* 2. *cap.*4., duo afferunt in judicio inſtrumenta cum hypotheca ſupra eadem re confecta eodem tempore, utique par erit jus utriuſque creditoris; at ſi in uno inſtrumento & dies notatus appareat, & hora, in altero dies tantum, illud præferri debet, quod Molinus *in tract. de pignorib. quæſt.*4. *num.* 3. cenſet obſervari, ubi in inſtrumento appoſita ſit ultima hora diei, nam præſumi poteſt aliud inſtrumentum nocte fuiſſe confectum.

XIX. Diximus aſſenſum diverſum a contractu non ſubſiſtere, & propterea ſi fingamus feudum venditum ſimpliciter, & poſtea conventum inter contrahentes, ut uſusfructus remaneat penes venditorem, quoad viveret, dicendum erit contractum eſſe nullum, ut proponitur in *decis.* Reverterii 333.; ſiquidem poſterius factum non fuit expreſſum in aſſenſu; unde intelligitur illud ex ignorantia concedentis proceſſiſſe, & propterea actus erit nullus.

XX. Circa tempus quoque, ex quo impetratur aſſenſus, illud notandum eſt ex LL. Regni in *pragm.* 1. *de feudis*, poſt impetratum aſſenſum de-

Digitized by Google

debere contrahentes illo uti intra menſes tres; nam eo tempore elapſo opus eſt novo aſſenſu: cujus juris ea fortaſſis ratio aſſignari poteſt, quoniam cum longum tempus tranſit, perſonarum qualitates, & circumſtantiæ immutari ſoleant, quod utique Princeps ſcire debet; aliter non cenſetur conſentire, cum in alienatione feudi omnia ſtricte ſint accipienda, ne aliquid fiat in præjudicium ſupremi dominii.

XXI. Dubitatum olim fuit, an venditio feudi, quæ fieret auctore judice, requireret Regis aſſenſum? nam in hac ſpecie qui vendit, non ſponte, ſed coacte alienat, & interventus Judicis videtur removere cujuſcumque generis impedimentum. Hæc dubitatio major erat in Regno, quoties ex creditorum petitione, ſive concurſu, ut loquuntur in foro, feuda vendebantur in S. Conſilio pro eorum creditis contractis cum aſſenſu: ſiquidem videbatur S. Conſilium, utpote ſupremum Tribunal, in quo repræſentatur perſona ipſius Principis, vendendo feudum ſub haſta concedere aſſenſum. Verum in *pragm.* 23. *eodem tit. de feud.* contrarium ſtatuitur, ſcilicet ut etiam impetretur Regius aſſenſus in venditione ad inſtantiam creditorum; quamvis in eorum inſtrumentis & aſſenſus appareat, & clauſula de ſtylo, & conſuetudine Notariorum conſtituti, & precarii, & poteſtatis capiendi; quod idem dicendum eſt in adjudicatione feudi, ſi fortaſſis in venditione ſub haſta nullus emtor exiſtat; creditor enim, in cujus beneficium fit adjudicatio, alium impetrare debet aſſenſum, ubi & ratio redditur a nobis *ſupra* propoſita, ne Princeps ignoret, cuinam feudum vendatur, vel adjudicetur.

XXII. Cum jure Romano multa ſint conceſſa dotibus privilegia, ſiquidem publice expedit dotes mulieribus conſervari, ait Juriſconſultus in *l.* 1. *D. ſoluto matrim.*; ideo & Leges noſtræ circa aſſenſum non levis momenti privilegium conceſſerunt dotibus, ut in *pragm.* 2. *eod. tit.*, ubi decernitur mulieres Neapolitanis nuptas, dum dotes dant maritis feuda poſſidentibus, habere ipſa feuda obligata, quamvis non ſit impetratus aſſenſus, qui tacite intelligitur. Quapropter ſicuti jus Romanum dat mulieribus privilegium tacitæ hypothecæ, ita leges noſtræ taciti aſſenſus, unde illæ poterunt concurrere cum aliis creditoribus habentibus expreſſam hypothecam, & expreſſum aſſenſum. Et licet in capitulis matrimonialibus dicatur *ſalvo aſſenſu impetrando*, tamen hæc clauſula non officit privilegio mulierum; nam etſi aſſenſus non fuerit poſtea impetratus, habetur nihilominus, tamquam ſi impetratus eſſet. Idem beneficium conceditur antefato, quod apud nos loco donationis propter nuptias eſt introductum; nam ſucceſſor in feudo mortuo marito tenetur ex fructibus ejuſdem feudi antefatum præſtare; ſiquidem ipſum tacite cenſetur obligatum & pro dote, & pro antefato.

XXIII. Ut autem privilegio locus detur, dos vera, & realis eſſe debet, ne aliquid fiat in feudum: at ſi in tabulis dotalibus dicatur promiſſam dotem, nec appareat de vera ſolutione, an obtinebit privilegium? Negat quidem citatus Reverterius in *deciſ.* 130.: contrarium vero aſſerit de Marinis *in notis ad eandem deciſ.*; ſiquidem ex ſententia Bartoli in *l. ſtipul. D. de verbor. obligat.*, confeſſio dotis receptæ veram probat numerationem, quoties elapſa fuerint tempora opponendæ exceptionis; nam ex conſtit. Juſtiniani *in l.* 3. *Cod. de* non

Digitized by Google

non numerata dote ſtatuitur competere marito, vel ejus heredibus intra annum poſt diſſolutum matrimonium morte, vel divortio ſequuto exceptionem non numeratæ dotis, licet in tabulis dotalibus expreſſum ſit eum recepiſſe dotem. Igitur concludendum eſt privilegium taciti aſſenſus habere quoque locum in dote cauta, licet aliunde non appareat numeratio, modo tempus exceptionis ſit tranſactum.

XXIV. Quamvis ex generali regula DD. in *l. quod contra D. de legibus* non ſint ad alias ſpecies amplianda privilegia, tamen apud nos pro certo habetur non ſolum pro reſtitutione dotis, tacite cum aſſenſu, obligata intelligi bona feudalia, ſed etiam pro alimentis præſtandis uxori ab ipſo feudatario; unde quotidie uſus fert in foro, ut cum ex juſtis cauſis uxor ſeorſim a marito vivat, de fructibus feudi ei fiat aſſignatio, ſive annua præſtatio pro alimentis ſecundum conditionem, & ſtatum perſonarum; neque id auctoritate deſtituitur, ſiquidem Bartolus, & ceteri ejuſdem ſcholæ Interpretes in *l. ſi cum dotem D. ſoluto matrimon.* docent, privilegium tacitæ hypothecæ pro conſequutione dotis ſuper bonis mariti conceſſum a Juſtiniano in *l. un. §. & plenius Cod. de rei uxoriæ act.* intelligi etiam pro alimentis, unde idem dicendum in ſimili privilegio conceſſo a legibus Regni.

XXV. Ex his illud quoque ſequitur, quod idem privilegium tacitæ hypothecæ intelligatur etiam de uſuris, vulgo intereſſe ex cauſa dotis, ſi fortaſſis ſuo tempore ſolutio facta non ſit; ut poſt Bartolum communiter docent Doctores; imo iidem aſſerunt pignus obligatum pro ſorte cenſeri obligatum pro uſuris, quemadmodum fidejuſſor tenetur pro intereſſe eadem ratione, ut reus principalis.

XXVI. Hoc autem intelligendum eſt, quemadmodum fidejuſſor generaliter ſit acceptus in omnem cauſam contractus; nam ſi ſpecialiter in certam ſummam, non tenetur, niſi pro eo, quod promiſit, ut eſt *l. ſpecies qui vero* 54. *D. locati*. Quapropter eadem hæc obtinet in privilegio, de quo loquimur; bona enim feudalia cenſentur non ſolum in beneficium mulieris obligata cum aſſenſu pro dote ipſa, ſed etiam pro legitimis uſuris, ſi fortaſſis ſoluto matrimonio heredes feudatarii ſine cauſa diſtulerunt ſolutionem dotis.

XXVII. Verum ſi mulier alteri actiones, quas habet, pro conſequutione dotis, ceſſerit, tunc ad uſuras non extenditur privilegium, ut in S. C. refert deciſum idem Reverterius *dec.* 196.; & ratio eſt, quia tale privilegium cenſetur potius perſonale, unde ſublata perſona mulieris ceſſat. Id ipſum de privilegio tacitæ hypothecæ ex *cit. l. un.* aſſerunt DD., ſcilicet transferri illud pro dote, non pro uſuris.

XXVIII. Mulier ex injuſtis nuptiis, aut ex concubina nata non ſuccedit ad feudum, ut *alibi* diximus; unde non levis eſt dubitatio, an ſupradictum privilegium conceſſum mulieribus pro dote intelligatur etiam ubi illæ ſunt illegitimæ; & favore mulieris illegitimæ deciſum refert in Regia Camera idem Reverterius *deciſ.* 150., nam illegitimus eſt inhabilis ad ſucceſſionem feudi jure ordinario, non autem cum Princeps illum vocat ad ſucceſſionem feudi; ei namque concedit novam inveſtituram, quemadmodum Clericus in majoribus ordinibus conſtitutus, licet feudi ſit incapax, tamen ex voluntate Domini di-

Digitized by Google

directi poteſt illud habere ; etenim ubi Princeps voluntatem ſuam clare exprimit, nulla admitti poteſt juſta ratio dubitandi . Hinc Baldus in *l. unquam Cod. de fideicommiſſis* notat ad illegitimos feudum pertinere, quoties Princeps illud concedens pro ſe, & filiis, ſcit feudatarium nullos habere filios ex juſtis nuptiis quæſitos , ſed tantum naturales : igitur caſu noſtro cum generaliter mulieribus Neapolitanis gratia ſit conceſſa, neque excipiantur natæ extra nuptias, cenſentur & illæ comprehenſæ , & admitti poſſe ad acquiſitionem feudi ex voluntate concedentis aſſenſum .

XXIX. Fingamus modo reſtitutionem dotis ſuper feudo fieri debere non mulieri, quæ jam mortua eſt , ſed ejus heredibus extraneis , magna olim fuit quæſtio , an idem privilegium competat ſuper feudo ; ratio dubitandi eſt hæc, quam modo proponimus , quia actio hypothecaria cenſetur realis, & conſideranda etiam tamquam feudum ipſum ; unde ſicut feudum non tranſit ad heredes extraneos , ita videtur non tranſire hæc actio, & per conſequens privilegium. Verum favore heredum deciſum in S. C. teſtatur Marinus Freccia *de ſubfeud. cap. 2. quæſt.* 12. , & de Ponte *de poteſtate Proregis tit. de aſſ. Reg. ſup. feudo* ; ſiquidem non ſimpliciter verum eſt actionem ſuper feudo conſiderari tamquam feudum ipſum ; nam ſi creditor hypotecham habens ſuper feudo cum aſſenſu decedat pluribus liberis relictis , non ſuccedit tantum primogenitus in jure hypothecæ , ſive in actione , ſed omnes liberi æqualiter.

XXX. Quemadmodum in alienatione feudi requiritur aſſenſus Regis, ita in alienatione ſubfeudi requiritur aſſenſus Baronis, aliter cenſetur nullus contractus , quod in Regno pro indubitato habetur ex *deciſ. 86.* , & 126. de Franchis . Demum notat idem Marinus Freccia *part.* 2. , id intelligi, ubi feudum eſt ſimpliciter planum, & de tabula ; nam ſi fuerit, ut noſtri dicunt more ſcholaſticorum *Quaternatum ſecundum quid* , ideſt conceſſum a Rege , & ſcriptum in quaternionibus Regiæ Cameræ ; conceſſum tamen ea conditione , ut teneatur a Barone, ideſt ut ſubfeudatarius cognoſcat Baronem pro oneribus, quæ ab ipſo ſolvuntur pro toto feudo, tunc in alienatione requiritur utriuſque aſſenſus, nempe Regis, & Baronis.

XXXI. Verum ſi tempore alienationis ſubfeudi Baro ob aliquod crimen deportetur, contractus alienationis cenſetur validus ; etiamſi ſine ejus aſſenſu fuerit initus; vel quamvis Baro ex indulgentia Principis ſit reſtitutus, tamen non poteſt contractum infringere , nam beneficia uni conceſſa non debent alteri præjudicium afferre . Qua in re uti poſſumus exemplo filii familias, qui per patris deportationem fit ſui juris ; deportatio enim eximit reum a numero Civium , & per conſequens amittitur patria poteſtas , quæ ſolis Civibus competit; at ſi pater ſit reſtitutus in priſtinum ſtatum , non infirmatur contractus a filio celebratus pendente deportatione ex *l. ult. Cod. de ſententiam paſſis , & reſtitutis* .

XXXII. Conſtat tamen ex Bartolo *in commentariis ad eandem legem* , non idem obtinere indiſtincte de teſtamento condito per filium ; nam ſi reſtituto patre filius adhuc vivit , infirmatur teſtamentum ; ſiquidem denuo patria poteſtas acquiritur:unde teſtamentum ejus, qui jam filius familias eſt, non poteſt amplius valere;

Digitized by Google

re; ſed ſi filius reperiatur defunctus, teſtamentum conſiſtit; fuit enim conditum ab homine ſui juris, qui permanſit in eodem ſtatu, uſque dum teſtamento acquiri poſſet hereditas.

XXXIII. Aſſenſus impetratus pro alienatione feudi, cenſetur conceſſus in ſubſidium ex ſententia Camerarii in *cap. Imperialem de prohib. alien.*; unde ſi maritus e. g. habeat bona burgenſatica, prius illa excutienda ſunt, quibus deficientibus demum perveniri poterit ad alienationem feudi, & eo modo apud nos deciſum teſtatur Rovitus in *pragm.* 8. *de feud.*: unde idem multo magis erit dicendum, quoties agitur de privilegio *dictæ pragm.* 11.; nam non debet plus juris competere in tacito aſſenſu, quam in expreſſo, præſertim cum mulier jure Romano habeat tacitam hypothecam generalem ſuper omnibus bonis viri: & ex æquitate prius diſcutienda ſunt bona, quorum venditio minus habet incommodum, ut ſunt burgenſatica, quam feudalia; hæc enim dum diſtrahuntur, ſolent eſſe non levis præjudicii, præcipue ſi fuerint titulo decorata, & ab antiquo in familiam debitoris.

XXXIV. Quamvis aliquando dubitatum fuerit a noſtris Doctoribus, an prædictus tacitus aſſenſus quemadmodum in dotibus, ſic etiam intelligatur in donationibus, quæ liberis fiunt a parentibus contemplatione matrimonii, tamen non extendi ad hujuſmodi donationes in Regia Camera concluſum fuiſſe refert de Marinis *reſolution. lib.* 2. *cap.* 28.; ſiquidem *alibi* diximus, quæ ſunt contra jus ordinarium, non debent extendi de ſpecie ad ſpeciem. Eſt & alia ratio, quia hoc privilegium conceſſum fuit favore dotium, & ne mulieres indotatæ remanerent, quod non ceſſat in caſu noſtro.

CAPUT XVIII.

Quibus modis feudum amittitur.

EXPOSUIMUS huc uſque, quibus modis feudum acquiratur; reliquum eſt, ut videamus rationem ejuſdem amittendi, ſiquidem ut obligationes ex jure civili certis conſtituuntur modis, atque diſſolvuntur, ita & obligatio, quæ naſcitur ex feudo. Primo feudum amittitur morte Vaſalli, quod quidem jure antiquo obtinebat, ut *ſupra* adnotavimus; nam jure novo feudum ad heredes tranſmittitur, etſi ab ipſo feudatario moriente primo ſit acquiſitum: ſed adhuc hodie evenire poteſt, ut mortem Vaſalli amittatur feudum, veluti ſi in inveſtitura expreſſe tantum ſit perſona ipſius acquirentis; vel ſi feudum concedatur Clerico in majoribus ordinibus conſtituto, qui cum non poſſit legitimos habere heredes ex corpore: intelligitur feudum pro ejus tantum perſona conceſſum, licet nihil in inveſtitura exprimatur.

II. Ob interitum quoque rei extinguitur feudum, ut putat Giphanius; hac in cauſa ſimile eſt feudum uſuifructui, qui, utpote jus in corpore, re ſublata extinguitur, *l.* 5. *D. quibus modis uſusfructus amittatur*. Et quamvis in feudo duplex jus conſideretur,

retur, ſcilicet rei, & perſonæ; adeout re ſublata, nihilominus obſequium, quod eſt jus perſonale, præſtandum ſit; exiſtimat tamen idem Giphanius ex interitu rei omnino feudum extingui, & propterea nec obſequium præſtandum eſſe; nam propter beneficium præſtatur: unde re extincta ſolvitur omnis obligatio Vaſalli, exemplo beneficii ex ſententia Canoniſtarum, qui docent, collato alicui beneficio, ſolvi omne onus perſonale, quoties redditus beneficii omnino deficiunt. Fingamus igitur fundum, ubi conſtitutum erat feudum, in hoſtium poteſtate deveniſſe, certe feudatarius ſolutus erit tum ab onere militiæ, tum Adohæ, & Relevii.

III. Amittitur quoque feudum per conſolidationem, vel refutationem; quoties ſcilicet conſolidatur cum proprietate, ut in uſufructu, vel ab ipſo Vaſallo Domino ceditur, aut Agnatis refutatur, ut *ſupra* diximus ex *tit.* 41. *lib.* 2.: amittitur etiam feudum præſcriptione ex iis, quæ *ſupra* adnotavimus, ubi *de præſcriptione* actum eſt.

IV. Jure communi feudorum feudum amittitur, ſi inveſtitura non petatur intra tempus ſtatutum, nempe intra annum, & diem, ut *alibi* diximus ex *tit.* 24. *lib.* 2.: hac enim ratione tamquam ingratus repellitur Vaſallus a feudo, ſiquidem cum olim ut plurimum ex liberalitate Principis concederentur feuda, videbantur ingrati, & beneficiorum indigni, qui inveſtituram non petebant ſuo tempore; cenſebantur enim tamquam ſuperbi reſpuere beneficium. Excipiebantur tantum minores quatuordecim annis; ignoſcebatur enim eorum ætati; vel majores, ſi ex juſta cauſſa impediti non potuiſſent inveſtituram petere. Hæc autem aliter ſeſe habent ex jure Regni; nam cum feuda apud nos acquirantur ut plurimum ex cauſa oneroſa, ut eſt emtio, eſſet ſatis iniquum ex ſola incuria, & negligentia petendæ inveſtituræ, ut feudum amitteretur, & propterea uſu receptum eſt, ut ex tali negligentia is, ad quem feudum pertinet, duplex relevium ſolvat.

V. Amittendi feudi hanc quoque cauſſam eſſe cenſet Giphanius, ſi Vaſallus male re utatur feudali contra voluntatem Domini directi: hoc autem duobus modis accidere poteſt, vel in re ipſa, ſcilicet cum male utitur deſtruendo, devaſtando, vel in aliam formam redigendo contra voluntatem Domini; vel ſi hominibus ipſis, & ſubditis male utatur feudatarius; præſertim ubi feudum eſt dignitatis, aut ubi imperium, vel juriſdictio adjuncta eſt: nam juriſdictione, & auctoritate dum abutitur feudatarius, cenſetur indignus; quod ſane non obſervatur in Regno noſtro, nam vix aliquando ad tempus Barones Juriſdictione privantur, licet multa crimina in ejus exercitio admiſerint; fortaſſis ex eo, quia ut *alibi* diximus, feuda apud nos raro transferentur ex cauſſa lucrativa, ut plurimum ex cauſa oneroſa.

VI. Quod diximus de amiſſione feudi, quoties re abutitur feudatarius, intelligit quoque idem Giphanius de amiſſione officii alicujus in feudum conceſſi: idque probat ex *lib.* 2. *tit.* 22. §. *publici*, ubi dicitur ob eam cauſam amitti feudum Advocatiæ. Hoc nomine fortaſſis intelligitur officium, quod concedebatur temporibus Longobardorum pro tuendo patrimonio Principis; idem olim obtinebat in feudo Gaſtaldiæ, quod erat adminiſtrationis; nam ſi mi-

Digitized by Google

minus recte res conceſſa adminiſtraretur, amittebatur feudum, & transferebatur in hominem diligentiorem.

VII. Inficiatio Vaſalli juſtam cauſam Domino præbet eum a feudo amovendi, quando ſcilicet ille negat ſe Vaſallum eſſe, ſive de toto, ſive de parte feudi, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *Vaſallus*; quod nec etiam in Regno obſervatur, nam quotidie videmus lites agitari, utrum res ſit feudalis, an ſecus nec propterea probata re feudali, quam quis negabat talem eſſe, amittitur feudum, ſed tantum poſſeſſor adſtringitur ad ſolvenda onera feudi in beneficium fiſci.

VIII. Ad hanc quoque ſpeciem referri poteſt, ſi Vaſallus operam Domino directo, & dominium præſtare recuſet, parum enim intereſt, utrum feudum ipſum, an res huiuſmodi neget Vaſallus: nam qui operas præſtare recuſat, tacite confitetur rem, quam poſſidet, liberam eſſe, & per conſequens feudum non eſſe. Fortaſſis hac in parte aliquo modo leges feudales jus Romanum imitatæ ſunt, veluti in lege Aquilia de damno dato adverſus negantem in duplum, *l. inde Neratius D. ad leg. Aquil.*: hæc autem apud nos neque in feudo; neque in actione de damno dato amplius obſervantur.

IX. Præcipua ratio amittendi feudi eſt ingrati animi vitium, nam id eſt manifeſte contrarium beneficio. Hæc autem cauſa multas ſpecies continere poteſt, quæ expreſſe ſtatutæ non ſunt in libris feudorum; per interpretationem communiter ſunt receptæ: generaliter hæc ſtatuitur regula, quæ ſunt cauſæ juſtæ exheredationis, cenſentur etiam idoneæ ad feudum amittendum: nam ſi poteſt pater ex iis cauſſis filium privare ſuis ſubſtantiis, quæ aliqua ratione ex ipſo jure naturali ad eum pertinent, *l.* 1. *D. de bonis damnat.*, multo magis idoneæ erunt ad amiſſionem feudi; illud enim non proficiſcitur, niſi ex liberalitate, & benevolentia Domini. Cauſæ revocandæ donationis idoneæ quoque cenſentur cauſæ feudum amittendi: verum hic in re certo ordine breviter procedendum eſt.

X. Prima cauſſa ingratitudinis eſt, ſi Vaſallus violentas manus Domino intulerit, ſive in bello, ſive quovis in loco *tit.* 17. *lib.* 2.: hæc tamen non intelligitur tantum, ſi perſona Domini offendatur, quod extra controverſiam eſt; ſed etiamſi hoſtili animo res ejus aggreſſus fuerit Vaſallus. Hinc ſpecies tractatur ab Interpretibus, an, ſi Vaſallus ignorans Dominum aggrediatur, e. g. ſi oppugnet arcem, in quam ille ſit, feudo privari debeat: & putat Gloſſa in *tit.* 5. *lib.* 2., ſemper Vaſallum feudum amittere, ſive ſciens, ſive ignorans caſtrum Domini oppugnaverit. Sed hanc ſententiam, utpote ab omni æquitate remotam, falſam putat eſſe Giphanius; nulla enim adverſus ignorantes legitima pœna ſtatuta eſt: verum ſi Vaſallus ſciverit Caſtrum, ad quod oppugnandum accedit, Domini eſſe, etiamſi ignoraret ibi Dominum permanere, nihilominus poſſe eum juſte feudo privari idem Auctor cenſet.

XI. Ingratitudinis quoque ſpecies eſt, ſi vitæ Domini ſit Vaſallus inſidiatus, ſive veneno, ſive alio quovis modo, ſive Dominium deſeruerit in acie periclitantem; cenſetur enim indignus feudo, qui, eo accepto ob onus militiæ, deſerit, quod magis

intereſt in ipſa militia, nempe tueri vitam Domini, *d. tit.* 5 *lib.* 1.: multo magis idem erit dicendum, ſi Dominus accepto vulnere deſeratur a Vaſallo, quamvis deinde ipſe evaſerit, & convaluerit. Sed fingamus Dominum in acie vulneratum mortem oppetere, an reus erit Vaſallus, unde feudo privari poterit, ſi eum mortuum deſeruerit, & in fugam ſeſe dare cœperit. Communior ſententia eſt, nullam hic cauſſam proponi, cur feudum debeat Vaſallus amittere: nam quænam erit utilitas, ſi poſt mortem Domini ſemetipſum Vaſallus morti objiciat, & præſertim cum inclinata jam pugna reſtitui non poſſit: cenſet autem Duarenus amittere quoque feudum Vaſallum, ſi Dominum deſeruerit in acie, licet hic incolumis evaſerit; nam eo ipſo quod Dominum deſeruit; præbuit ſe ingratum, & per conſequens indignum feudo.

XII. Quoties bellum fuerit injuſtum tunc habetur ex *tit.* 24. *lib.* 2. teneri tantum Vaſallum adjuvare Dominum ſuum ad defenſionem, non autem ad offenſionem; ſcilicet tenebitur Vaſallus militare, uſque dum Dominus propria defendens, hoſtem expellere conatur: non autem dum vult ejus imperii fines ingredi, agros vaſtare, Urbes oppugnare, aliave facere, quæ ſunt belli conſequentia. Sed raro hæc accidere poterunt, nam non ſemper ſubditi ſcire poſſunt, ſint ne juſtæ cauſæ, quæ Dominum impulerint ad bellum, & ſæpe quæ nobis videtur injuſta cauſa belli movendi, ſecundum Domini, & peritorum conſcientiam erit juſtiſſima, quin etiam res aliquando adeo dubia poterit eſſe, ut bellum ex utraque parte ſit juſtum unde ſubditus non facile dijudicabit, utrum teneatur Dominum adjuvare in ſola defenſione, an etiam in offenſione. Quænam ſint juſtæ cauſæ movendi bellum, proponuntur, & explicantur a doctiſſimo Grotio *in tract. de jure belli ac pacis*.

XIII. Quid autem dicemus, ſi Dominus directus adverſus fratrem, vel patrem, vel filium Vaſalli bellum gerat, an hic tenebitur eum ſequi? Affirmatur in *d. tit.* 28., & additur adhuc teneri Vaſallum Dominum defendere, & adjuvare, ſecus poterit tamquam ingratus removeri a feudo. Hic autem non levis oritur dubitatio, ſiquidem obligatio, quæ naſcitur ex feudo, de jure civili eſt: contra obligatio, ne offendatur pater, vel frater, vel filius, quia eſt de jure naturali, ei non poterit per civiles leges derogari. Reſpondetur, obligationem quidem naturalem non poſſe tolli a legibus civilibus, ſed in ſpecie noſtra cum quidam adſit contractus inter Dominum directum, & feudatarium: hic tenetur omnino contractui ſtare, aliter poterit feudum relinquere, & nihil facere contra naturalem obligationem.

XIV. Fingamus autem eundem Vaſallum ex duobus Dominis plura feuda habere, an poterit pro uno adverſus alium bellum gerere, quæſtionis eſt. Et quidem ait Obertus in *fine d. tit.* 28., non debere Vaſallum adverſus antiquiorem Dominum bellum gerere, a quo ſcilicet primam inveſtituram acceperit: quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, contra poſteriorem Dominum in auxilium prioris poſſe arma ſumi, ea fortaſſis ratione, quia poſterius feudum dum fuit acceptum exceptus intelligebatur Dominus antiquior: ſin autem non appareat, quinam ſit antiquior Dominus, fortaſſis quia uno, eodemque die utraque

que inveſtitura fuerit facta, tunc cenſuit Nicolaus Everardus, ut refert Giphanius, non poſſe feudo Vaſallum privari, ſi adverſus alterum arma capiat pro altero ex Dominis, quia non cenſetur ei afferri injuriam. Verum hæc uſu non ſervantur; nam ut plurimum Domini directi, dum bellum gerunt, ſolent feuda confiſcare eorum, qui contra ſe arma capiunt, nulla adhibita diſtinctione, utrum ſit poſterior in dominio directo, an prior.

XV. Aliud exemplum ingratitudinis, imo ſummæ injuriæ, unde recte Vaſallus poterit feudo privari, refertur in *d. tit.* 5. *lib.* 1., nempe ſi ille cum uxore, vel filia Domini directi turpiter ſeſe immiſcuerit, vel etiam cum nupta filia, ſive nuru; imo ſufficiet, ut ubi explicatur, ſi Vaſallus earum pudicitiam attentaverit, cum eis turpiter luſerit &c..

XVI. Amittit etiam feudum Vaſallus, ſi Dominum detulerit, vel accuſaverit, unde ei grave damnum illatum ſit, *tit.* 24. *lib.* 2.: hoc tamen intelligitur, ſi voluerit Vaſallus publici accuſatoris perſonam aſſumere, ſcilicet de crimine ad ſe non pertinente; nam videtur ſatis iniquum accuſationem ab eo proponi contra proprium benefactorem, quemadmodum hæc eadem cauſa eſt juſtæ exheredationis. Ceterum ſi Dominus directus crimen aliquod commiſerit, ſive contra perſonam feudatarii, ſive contra aliquem ex ejus conjunctis, vel affinibus, tunc nihil erit impedimento, quominus poſſit apud ſuperiorem judicem accuſationem ſive querelam inſtituere.

XVII. Quid vero dicemus, ſi ex juſta cauſa ſine calumnia accuſatio fuerit propoſita? Et nihilominus feudo privandus eſt Vaſallus; nam ſemper injuriam committit contra Dominum, dum eum accuſat, cum proprium Dominum defendere teneatur, non in judicium deducere: & utamur hac in re exemplo ſervi delatoris, qui denuncians crimen Domini, licet illud probaverit, nihilominus ſemper puniendus eſt ex *l. ult. Cod. de delator. lib.* 10.: excipitur tamen crimen læſæ Majeſtatis, in quo cum nemo repellatur ab accuſando, cujuſcumque conditionis ſit accuſator, nullam propterea ſubire debebit pœnam.

XVIII. Accidit etiam aliquando, ut Vaſallus amittat feudum, etſi in alium, non in Dominum ſuum exiſtat ingratus, veluti ſi proprium fratrem occidit perverſo animo, ut univerſam hereditatem ſolus occuparet, quo crimine nullum majus excogitari poteſt, *tit.* 37. *lib.* 2.: Illud quoque monendi ſumus, & Dominum directum feudi proprietatem amittere quoties adverſus ipſum Vaſallum male ſe gerat, *tit.* 49. *ejuſdem lib.*. Specialiter notandum eſt in feudo, quando Clericus, vel Epiſcopus, vel alia quævis perſona Eccleſiaſtica nomine Eccleſiæ a Principe ſæculari illud habeant, ut, ſi ob propriam culpam feudum amittant, revertatur ad ipſum Dominum directum, ſed non perpetuo; quamdiu tamen ipſi delinquentes vivunt; nam poſt eorum mortem reſtituitur feudum ſucceſſori in eadem dignitate, & officio, *tit.* 40. *in fin. ejuſd. lib.* 2.: & ratio eſt manifeſta, quia non debet ob crimen poſſeſſoris Eccleſia feudo privari, ſed potius debet ipſe tantum puniri, qui deliquit.

XIX. Hac occaſione arrepta videamus generaliter amiſſum feudum ad quem pertineat: hac in re facienda eſt diſtinctio in feudum novum, & anti-

antiquum; in illo enim crimen feudatarii, qui feudum acquiſivit, nocet ejus filiis, & ceteris deſcendentibus, *cap.* 1. §. *ſi Vaſallus tit.* 4. *ſi de feudo defuncti &c.*: quod verum eſt non tantum, ubi crimen eſt commiſſum contra ipſum Dominum directum, ſed etiam ubi eſt contra alium, dummodo ſit tale, ut feudo privetur reus; quam eſſe communem ſententiam teſtatur Zaſius *de feudis part.* 10. & Julius Clarus *in* §. *feudum quæſt.* 64.: at ubi feudum eſt antiquum, ſcilicet non acquiſitum ab ipſo delinquente, ſed ab ejus majoribus, tunc magna eſt inter Doctores controverſia, an patris crimen noceat filio: negat quidem Accurſius in *l. adoptivum* §. *ult. D. de in jus vocando*.

XX. Hæc ſententia ſuis rationibus non caret, primo ex *l. emancipatum* §. *ſi quis D. de ſenator.*, ubi habetur ſenatoriam dignitatem non amittere eum, qui Avum habuit ſenatorem, licet pater illius ob crimen fuerit motus a ſenatu: quod idem confirmatur in *l.* 9. *eodem tit.*; igitur multo magis idem dicendum in feudo, in quo non agitur de ſimplici dignitate, ſed multoties de univerſo patrimonio alicujus familiæ, præſertim in Regno, in quo ut plurimum feuda acquiruntur ex titulo oneroſo.

XXI. Non diſſimile eſt exemplum ex *l.* 2. §. *nullum D. de Decur.*, unde deducitur filium innocentem ex patris delicto non puniri, nec privari honoribus, & dignitate decurionum. Negat inſuper Gloſſa *in eadem l.* 2. filium conceptum poſt delictum patris privari eadem dignitate debere, modo Avus inter decuriones fuit adſcriptus. Eandem ſententiam confirmare videtur exemplum juriſpatronatus ab Avo profecti, quo non privatur filius ob crimen patris, *l. divi D. de jure patron.*. Denique hic aptari poſſunt verba *l.* 3. *tit. de interdictis & relegatis*, eum, qui Civitatem amitteret, nihil aliud juris adimere filiis, niſi quod ab ipſo perventurum eſſet ad eos, ſi inteſtatus in Civitate obiiſſet. Quæ vero non a parente, ſed a genere, a civitate, a rerum natura tribuuntur, ea manere eis incolumia.

XXII. In hac controverſia quidam ex veteribus JCtis, inter quos Jacobus de Ravenna, diſtinguunt inter feudum hereditarium, & ex pacto, & providentia; aſſerunt enim in primo omnino feudum amitti etiam a filiis ob crimen patris, ſiquidem cum filii ei ſuccedunt ut heredes, privantur utique feudo, cum hereditas ad fiſcum devolvitur; ſed ſecus in altero, cum nihil juris habeat Fiſcus, cum non hereditas eſt delinquentis, ſed bona, in quibus filii vocantur ex pacto, & providentia, dicuntur primi acquirentis.

XXIII. Verum communior ſententia contrarium ſtatuit ea potiſſimum ratione, quia feudorum poſſeſſores, ubi ſciunt feudo non tantum ſe privari, ſed & filios, magis deterrentur a crimine perpatrando, quæ ratio redditur, cum in crimine læſæ Majeſtatis ſcelus patris noceat liberis, unde præclare ait Cicero *in Epiſtola ad Brutum; Nec vero me fugit, cum ſit acerbum parentum ſcelus, filiorum pœna lui: ſed hoc præclare legibus comparatum eſt, ut caritas liberorum amiciores parentes Reipublicæ reddat*.

XXIV. Verum omiſſis rationibus legum auctoritas potiſſimum attendenda eſt, nam in *cap.* 1. §. *ſi Vaſallus ſi de feudo defuncti* generaliter

Digitized by Google

ter aſſeritur, filios, & deſcendentes feudatarii delinquentis excludi a feudo; igitur nulla eſt facienda diſtinctio inter feudum novum, & antiquum.

XXV. Sed quid conjecturis egemus, cum *in eodem* §. *ſi vaſallus* expreſſe dicatur filios, & deſcendentes excludi ob crimen feudatarii, & feudum pertinere ad Agnatos, qui in quarto gradu ſunt; ergo ſermo eſt de feudo antiquo: nam qui ſunt in quarto gradu, utique non poterunt ſuccedere in feudo novo ex iis, quæ *ſupra* diximus, ut actum eſt *de ſucceſſione feudi*.

XXVI. Sunt tamen inter Doctores, qui ab hac pœnali lege de excluſione filii a feudo excipitur feminas, ubi ex ſtatuto ſuccedunt, pro ut in Regno noſtro, & utuntur variis rationibus, primo ex doctrina Bartoli in *l.* 1. *D. de verb. ſignif.*, qui docuit, licet nomine filiorum intelligantur maſculi, & feminæ, tamen in materia odioſa, & ubi lex continet odium implacabile, ut eſt in caſu noſtro, in quo ob delictum patris filiorum innocentia puniatur, femina non venire. Secundo ex ſententia Baldi, qui in *l. quicumque Cod. de ſervis fugitivis* aſſerit, ſi ex forma alicujus ſtatuti filii proſcriptorum, qui vulgo banditi dicuntur, permanere prohibentur in Civitate, non intelligi feminas, ſiquidem in maſculis conſiderari poteſt; nam illi imitantur exemplum patris, quod in feminis nequit timeri.

XXVII. Verum his rationibus non obſtantibus, contrarium obſervandum eſt; etenim feudum conceditur ob fidem, *cap.* 1. §. *quia vidimus tit. qui feudum dare poſſunt*, & propterea tamdiu cenſetur conceſſum, quamdiu feudatarius eſt in fide, qua deficiente cenſetur illud revocatum, tamquam conditione deficiente. Huc aptari ſolet regula *l. cum quis D. de ſolutionibus*, obligationem intelligi contractam, ſi res in eodem ſtatu permaneat, aliter ſoluta dicetur, ut in caſu noſtro; obligatio Domini directi de feudo permanendo in perſona feudatarii cenſetur durare, quamdiu res non mutatur, ſcilicet ſi permaneat ille in eodem ſtatu fidelitatis, in quo fuit conceſſum, aliter revocatum erit, nulla adhibita diſtinctione circa qualitatem filiorum.

XXVIII. Nec valet argumentum ex *l. quiſquis Cod. ad leg. Jul. Majeſtatis*, in quo fit diſtinctio inter filios maſculos, & feminas; nam id verum eſt circa res maternas, quibus privantur maſculi, non feminæ: at in rebus patris deliquentis nulla adhibetur diſtinctio; etenim illis omnes filii privantur cujuſcumque ſexus: in ſpecie autem noſtra loquimur de feudo patris, qui crimen commiſit, unde feudo privandus, & propterea id nocet æque maſculis, ac feminis.

XXIX. Demum hæc ſententia probatur a Matthæo de Afflictis *cap.* 1. §. *præterea, quæ ſit prima cauſa beneficii amittendi*; nam cum temporibus Regis Ferdinandi I. Aragonii Princeps Roſſani crimen læſæ Majeſtatis commiſiſſet, unde & feuda, & cetera ejus bona in Fiſcum fuerunt redacta, idem Rex pietate motus filias dicti Principis collocavit honorifice in matrimonium dotibus aſſignatis pro earum conditione, non autem ad feuda amiſſa vocavit: & ſi velimus hiſtoriarum Regni noſtri monumenta inſpicere, non ſemel legimus ex criminibus Baronum feuda in fiſcum redacta, nunquam filiabus reſervata.

XXX.

Digitized by Google

XXX. Illud autem extra dubitationem eſt, quod ſi filius feudatarii delictum grave commiſit, unde feudo indignus foret, ſi illud poſſideret, patre demum mortuo ſucceſſione privetur, ut docet de Iſernia *in cit. cap.* 1.: at dubitatio exiſtit de ipſius filiis, ſive nepotibus ejus, qui feudum poſſidet, utrum moriente Avo ſuccedant. Ratio dubitandi hæc a Doctoribus affertur, quia ut ipſi loquuntur, naſcuntur quodammodo ex origine infecta, *l.* 2. *Cod. de quæſt.*, & propterea eorum pater, qui ob delictum feudi eſt incapax, illis obeſt. Verum contraria ſententia pro nepotibus æquior eſt, & juri magis conſona; nam leges feudales, quæ adimunt feudum filiis, loquuntur de patre delinquente, & poſſidente feudum, & propterea illi privantur ejus ſucceſſione. At ſecus ſe habet in caſu noſtro, ubi agitur de ſuccedendo Avo, qui nullum delictum commiſit. Conſtat hoc ipſum ex *l.* 3. §. *ſi emancipatus D. de bonor. poſſeſſ. contra tabulas*, ubi ſtatuitur excluſo patre a bonorum poſſeſſione, eo quod uxorem duxiſſet contra decus familiæ, non excludi nepotem, qui peterit bonorum poſſeſſionem petere non ex perſona patris, ſed ſua: neque hac in re deſtituimur auctoritate rerum judicatarum; nam refert de Ponte in *tract. de poteſtate Proregis titulo de refutatione feudi*, in Regia Camera pro nepotibus in hac ſpecie fuiſſe deciſum. Et quamvis inſignis ea ætate Advocatus Fabius de Anna contra nepotes pro Fiſco diſſeruiſſet multis argumentis; tamen omnibus reſpondit idem de Ponte, unde ejus probata fuit ſententia.

CAPUT XIX.

De oneribus feudi, & præcipue de Adoha, & Relevio.

JAm ſatis conſtat feudi onera ex jure communi conſiſtere in ſervitiis præſtandis Domino, & præcipue, ut dum Dominus ad bellum proficiſcitur, Vaſallus eum ſequatur, nec deſerat, ſed ab eo imperata faciat, præterquamquod tenetur eidem fidelitatem præſtare, præſertim ut ſit memor accepti beneficii, nec ullo modo ſe ingratum præbeat, ac detur occaſio feudi amittendi, ut explicavimus in *cap. ſuperiori*.

II. At in Regno noſtro ex antiqua conſuetudine perſonales obligationes eorum, qui feuda poſſident, commutatæ in obligationes reales, ſcilicet ut ſint exemti feudatarii ab onere militiæ, & in ejus locum præſtent certam quantitatem, quarum una apud nos dicitur Adoha, altera Relevium de quibus breviter dicemus, explicando prius vocabulorum originem.

III. Unde orta ſit vox Adoha, non ſatis conſtat, cum ſit vocabulum omnino barbarum, nec reperiatur apud latinos ſcriptores, ſed tantum apud eos, qui ſequiori ætate cum latinis verbis barbariem miſcerunt, ut videre eſt apud Cancium *in gloſſario, verbo Adobas*, ubi legitur Adoham, & Adohamentum. In re autem obſcura veriſimile aliquo modo videtur, quod tradit Andreas Capanus *in tract. de Adoha*, ſcilicet hanc vocem ex eo deſcendere, quod cum illa ex Regum Neapolitanorum antiqua conſuetudine etiam de parvis feu-

Digitized by Google

feudis fuiſſet ſolvenda , nempe medietas decem unciarum, ut hi parvi reditus ſimul exigerentur, fuit conſtituta, & ex hac unione exactionis profluxit verbum adohare, quod apud Barbaros ſignificat unire, ſive ſimul colligere. Procedente autem tempore illud vocabulum generaliter acceptum fuit pro certa præſtatione in feudo cujuſcumque generis, ſive magno, ſive parvo.

IV. Hæc Adohæ ſolutio, quæ fit a Baronibus, non ſemper eodem modo fuit in Regno noſtro definita; aliquando, ut tradit idem Capanus, ſtatuebatur medietas fructuum unius anni, etſi non ſemper ſolvebatur, ſed quando vel tempore pacis, vel belli ſpecialiter id mandabatur a Rege, vel ipſimet Barones aliquid præſtabant donationis titulo.

V. Hinc uſus fert, ut quando ex Regni neceſſitate imponitur feudatariis Adohæ ſolutio, ſi qui ſubfeuda poſſident, teneantur pro rata contribuere, non quidem Regiæ Curiæ, a qua feudum non habent, ſed ipſis feudatariis, ſive Baronibus, vide de Marinis *deciſ.* 300. *Reverterii*; ubi & illud animadvertit, quod cum ex conſuetudine Adoha ſolvatur in donativis, quæ fieri ſolent Regi, præſertim tempore belli, ſi aliquis ex Baronibus aliquando non ſolvit, nequeat a Regio Fiſco conveniri, cum id ejus non interſit; donativum enim cum ſit certum, pro rata exigitur a Baronibus, qui plus tenentur contribuere, quoties pauciores ſunt, adeoque Fiſcus nihil amittit; quod enim debetur, certum eſt, exemplo collectarum, quæ ſolvuntur in beneficium Univerſitatis a ſingulis Civibus: hi enim ſi aliquando non ſolverunt, non poterunt conveniri a Regio Fiſco, cujus non intereſt; ipſe enim a ſingulis Univerſitatibus certam penſionem annuam exigit, & propterea ſolutio non pertinet ad ipſam Univerſitatem.

VI. Quamvis aliquando feudum reperiatur in territorio alicujus Baronis, tamen ubi occaſio dedit, Adoha Regiæ Cameræ ſit ſoluta, nihil quidquam prætendere poteſt Baro ſub prætextu, quod feudum cenſeatur pars ſui feudi; nam in hac ſolutione, ut notat idem Reverterius *deciſ.* 154., ſemper poſſeſſio exigendi conſideranda eſt potius, quam locus rei ſitæ.

VII. Alterum onus feudi in Regno eſt Relevium, quod præcipue præſtatur a Baronibus in ſignum dominii directi, & reverentiæ, ut loquitur Freccia *de ſubfeudis lib.* 2.. Origo vocabuli fortaſſis ex eo fuit, quia ex hac certa ſolutione relevatur quodammodo Vaſallus a præſtatione ceterorum onerum, quæ jure communi feudo ſunt adjuncta. Generaliter autem id præſtatur relevio, ut dum moritur poſſeſſor, vel alio modo ad alium feudum pervenit, teneatur ſucceſſor ſolvere Domino directo medietatem fructuum, qui uno anno percipiuntur.

VIII. Cum dicimus relevium ſolvendum de medietate fructuum unius anni, intelligendum eſt de fructibus naturalibus, ſcilicet qui vere, & naturaliter certis anni temporibus proveniunt, vel qui conſtituunt redditum certum, ſi feudum locetur; & propterea quæ percipiuntur opera, & induſtria feudatarii, non veniunt in computationem; nam præterquamquod tales fructus ſunt incerti, tribuuntur potius induſtriæ perſonali, cum relevium e diverſo ſit onus reale, vide de Marinis *reſolution. lib.* 2. *cap.* 18.: ex quo notat idem auctor

Digitized by Google

ctor in *cap. ſeq.*, fructus, qui percipiuntur ex Juriſdictionis exercitio, vulgo proventus in eandem computationem non venire, quia & ſunt incerti, & ex iis ſolvuntur penſiones Officialibus, aliiſque perſonis Curiæ deſervientibus.

IX. Quamvis de feudi, ut *alibi* diximus, nulla ſit teſtamentaria diſpoſitio, tamen ex Regis aſſenſu poteſt ſupra iis fideicommiſſum conſtitui. Hinc olim dubitatum fuit, an ubi quis ſuccedit, utpote vocatus ad fideicommiſſum in feudo, debeat ſolvere relevium: ratio dubitandi, quia in hac ſpecie non ſucceditur ultimo morienti, ſed fideicommittenti ex communi DD. regula in *l. coheredi §. cum filiæ D. de vulg. ſubſtit.*: verum contrarium refert deciſum in Regia Camera Reverterius *deciſ.* 254., quia relevium non tantum ſolvitur ex ſucceſſione, ſed etiam ex nova translatione dominii, quæ contingit, ſive feudum ſit ex fideicommiſſo, ſive ſecus. Quin etiam in propoſito caſu ſi non eſſet ſolvendum relevium, nec etiam ſolveretur in feudo ex pacto, & providentia, ubi ſucceditur primo acquirenti, non ultimo morienti, & tamen omnes Doctores in tali feudo concludunt ſine ulla controverſia relevium ſolvendum eſſe.

X. Hinc merito Andreas de Iſernia in *cap.* 1. *§. ut res, tit. per quos fiat inveſt.* circa ſolutionem relevii hanc regulam proponit: quoties per mortem alicujus petenda eſt inveſtitura, toties relevium eſt ſolvendum quaſi in recognitionem dominii directi: quod utique obtinet, ſive feudum acquiratur ex ſimplici ſucceſſione, ſive ex fideicommiſſo. Ex quo infert idem Doctor, non eſſe ſolvendum relevium, ubi acquiritur feudum ex jure accreſcendi. Fingamus a Domino directo duobus in ſolidum inveſtituram conceſſam, & ex iis alterum aut non poſſe eam petere, aut partem repudiare, vel quocunque modo deficere, tunc pars deficiens accreſcit alteri, quia nova non eſt petenda inveſtitura; nam prima ſufficit, quæ fuit conceſſa in ſolidum; nam partes fiunt concurſu, unde qui partem non accepit, ſolidum utique reliquit ſocio.

XI. Ex hoc principio & alia deducitur concluſio relevium præſtandum non eſſe, ubi quis ſuccedit ad feudum ex propria conventione, non ut vocatus a jure; nam eo caſu nova inveſtitura petenda non eſt, ſed potius continuatur antiqua. Ponamus patrem a Rege aſſenſum impetraſſe, ut nubenti filiæ feudum quod poſſidebat, daret in dotem, & in capitulis matrimonialibus pactum adjeciſſe de reſtitutione dotis: ponamus inſuper hunc caſum jam eveniſſe, adeo ut feudum reverteretur ad dotantem, quæritur, an ſolvendum ſit relevium. Negat Capanus in *tract. de jure relev. part.* 4., & ratio eſt manifeſta, quia hic nulla facienda eſt nova inveſtitura, ſed potius continuatur antiqua ex vi conventionis de dote reſtituenda.

XII. Non ſolum ubi pater dat filiæ in dotem feudum, ſed etiam cum ipſa filia, quæ illud acquiſivit per ſucceſſionem, ſeſe dotando dat feudum marito, requiritur Regius aſſenſus, ut eſt communis DD. ſententia in *cap.* 1. *§. donare tit. qualiter olim potuerit feudum alienari.* Hinc quæſitum eſt, an per mortem viri relevium ſolvendum ſit ab herede illius de feudo in dotem dato: & ſiquidem dos fuit inæſtimata, ſive feudum datum in dotem nullo pretio adjecto, eo caſu certum eſt nullum eſſe ſolvendum relevium, nam heres mariti defuncti, ſive ſit filius, ſive extraneus, non ſuccedit ad feudum, ſed illud ſtatim pertinet ad mulierem ſuper-

ſuperſtitem, in cujus dominio naturaliter permanſit ab initio, ut ait *l.* 30. *Cod. de jure dotium:* ipſa autem mulier nec quidquam ſolvet pro relevio, quia ex concluſione *ſupra* firmata non ſuccedit, ſed habet feudum ex vi taciti, vel expreſſi pacti de reſtitutione dotis; unde nova non eſt facienda inveſtitura. At ſi feudum datum fuit æſtimatum, quia æſtimatio cenſetur venditio, unde maritus, vel heredes ſoluto matrimonio non rei ipſius, ſed pretii fiunt debitores, eo caſu ſolvendum eſt relevium per mortem mariti ab herede, quia in illud ſuccedit, illiuſque debet petere inveſtituram.

XIII. Sed ſi heres in propoſita ſpecie pecuniam non habens velit potius feudum reſtituere, tunc nec relevium ſolvendum eſt; nam ex communi DD. interpretatione in *d. l.* 30., dominium rei dotalis etiam æſtimatæ cenſetur permanſiſſe penes mulierem, quoties reſtitutio fieri non poteſt, niſi in re ipſa, unde heres non ſuccedit ad feudum, quod recte tranſit ad mulierem, & propterea nulla eſt obligatio relevii, neque ex parte heredis, neque mulieris, quæ ſuum accipiet, unde nova inveſtitura opus non habet, ut *ſupra* adnotavimus ex doctrina Andreæ de Iſernia.

XIV. Quoties ex contractu donationis quis habet feudum poſt impetratum Regis aſſenſum, non tenetur ſolvere relevium, quia illud non habet per ſucceſſionem, ſed potius per conceſſionem ſuperioris: excipitur tamen, ubi fraus aliqua timeretur, e. g. pater poteſt vel intuitu matrimonii, vel alia de cauſa feudum filio donare, ſive agnato proximo ſucceſſuro, quam ſpeciem refutationem dici *ſupra* adnotavimus, & eo caſu relevium ſolvendum; nam ſecus quando quis eſſet morti proximus, poſſet ea ratione feudum transferre in ſucceſſorem, quod ſecus ſe habet in primo caſu, nam tunc feudum datur ex Regis voluntate ei, qui non eſt ſucceſſurus. Quinimmo non deſunt inter DD. ut videre eſt *in notis ad deciſ.* 271. Reverterii, qui cenſent neque in donatione facta a patre relevium ſolvi debere, ſi illa fuit impetrato prius Regis aſſenſu.

XV. Quamvis in computatione relevii deducantur expenſæ faciendæ quolibet anno pro fructibus colligendis, qui pertinent ad redditus ipſius feudi, nam dici non poſſunt redditus, niſi qui ſuperſunt poſt expenſas; tamen quod impeditur pro cuſtodiendo aliquo caſtro, ſi forte in illo ſit feudum conſtitutum, ut olim multa erant in Regno, non computari debet in relevio, ut refert deciſum in Regia Camera idem Reverterius *deciſ.* 245.; ſiquidem tales expenſæ non pertinent ad onus feudi, cui erat obſtrictus feudatarius, dum illud accepit, & ob eandem rationem neque deducantur annui cenſus, ſive præſtationes, quæ contractæ ſunt ſuper ipſo feudo poſt impetratum aſſenſum, neque quod ſolvitur ſingulis annis fratribus ſecundogenitis ratione vitæ, & militiæ; nam ſi hæc omnia deducuntur, non eſſent onera ipſius tantum feudatarii, ſed & Domini directi, quod ſane videretur abſurdum.

XVI. Illud autem non levem dubitationem habet, an meliorationes, quæ facta ſunt in feudo, deducantur in computatione relevii. Ratio dubitandi, quia meliorationes cedunt beneficio Baronis, non Domini directi, adeout ſi ob lineam finitam feudum devolveretur ad Fiſcum, hic deberet heredibus in Burgenſaticis eas præſtare, animadvertit

Digitized by Google

tit Andreas de Iſernia *cap.* 1. §. *ſi vaſallus*, *tit. ſi de feudo &c.*, & propterea non debent venire in computationem relevii: verum cum ſolvatur relevium in ſignum domini directi., ut *alibi* diximus, ideo uſus apud nos fert, ut ea omnia non deducantur. Neque obſtat, quod tales meliorationes ſolvantur a Fiſco, nam id evenit, quia eo caſu defunctus feudatarius duplicem habet heredem, Fiſcum ſcilicet in feudalibus, & extraneum in allodialibus, & in caſu noſtro unus eſſet heres, qui pro inveſtitura de omnibus feudi redditibus tenetur relevium ſolvere.

XVII. Solet aliquando feudum per legatum acquiri impetrato Regis aſſenſu; nam aliter id fieri non poſſit, quia, ut *alibi* diximus, in feudis nulla fit teſtamentaria diſpoſitio. Hinc olim in Camera orta fuit controverſia, ut videre eſt *in notis ad deciſ.* 245. Reverterii, quiſnam teneatur ad ſolutionem relevii, feudatarius, an heres univerſalis; & cum dictum fuiſſet ad onera hereditaria legatarium non teneri, ideo relevium ſolvendum eſt ab herede. Verum cum nimis durum videatur onus ſubire eum, qui non percipit fructus ex feudo, ſiquidem relevium computatur ex medietate fructuum unius anni, ideo uſus fert in ſpecie ſuperiori, ut quando pro legato impetratur aſſenſus, concedatur ſub conditione, ut legatarius ſolvat relevium.

XVIII. Quæri poteſt, an ſi ſucceſſor feudi antiqui non relevium ſolvat, ſed feudum alienet, emtor an ipſe relevium ſolvere debeat, ſcilicet an hoc onus ſit perſonale, an vero reale. Et videtur magis ſucceſſorem, quam emtorem feudi debere relevium ſolvere, quia tale onus perſonale eſt, non reale. Animadvertit tamen Marinus Freccia *in tract. de ſubfeudis*, uſu ipſo contrarium obſervari, nempe ab emtore relevium ſolvendum eſſe; quo caſu exiſtimo poſſe eum adverſus venditorem agere actione quanti minoris, quæ generaliter eſt competens cuicumque emtori, quoties in re emta aliquod onus, aliqua obligatio contracta appareat. Hoc tamen eſt intelligendum, modo ignoravit emtor relevium ſolutum non eſſe, nam ſi ſcivit, ſibi imputare debet, qui ante contractum emtorem non coegit ad relevium ſolvendum.

XIX. Illud poſtremo notandum eſt, etſi regulariter, ut diximus, relevium debeat eſſe medietas fructuum illius anni, quo feudum acquiritur, tamen poſſe minus præſtari, quando expreſſum ſit in inveſtitura; feudum enim ex tenore inveſtituræ ſemper vim habet, imo poteſt Princeps in conceſſione alicujus feudi ſpecialiter cavere, ne ullo modo ſolvatur relevium, quod extra dubitationem eſt, cum unuſquiſque poſſit renunciare iis, quæ in ſui beneficium ſunt introducta.

XX. Ex iis, quæ in poſtremo hoc capite adoptavimus, facile componi poterunt, & dijudicari quotidianæ, quæ de feudis oriuntur, controverſiæ: imo & cetera omnia, quæ de feudis naſcuntur dubia, ex univerſo hoc tractatu facile lucem accipiunt; nam etſi materia feudalis diffuſa ſit, & difficilis, unde tot voluminibus feudorum comprehenditur, tamen, niſi mea me fallit ſententia, ex omnibus, quæ propoſita ſunt, juris ſtudioſus facile percipiet non minus quæ communiter obſervantur feudales leges, quam quæ obſervantur in regno noſtro.

FINIS.

141 02 09

Digitized by Google